ACTA
SACRORVM SECVLARIVM
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
A. C. CIↃIↃCCCII.

COLLEGIT EDIDIT
IOANNES MATTHIAS SCHROECKH
HISTOR. PROF. P. O. VITEBERG.



LIPSIAE, A. CIↃIↃCCCIII.
IN LIBRARIA WEIDMANNIA.

LECTVRIS

S.

Si, quaecumque partim a doctoribus huius Academiae, per occaſionem Sacrorum noſtrorum Secularium ſcripta ſunt; partim a fautoribus et amicis eiusdem, honori noſtro dicata ſunt, vario orationis et argumenti genere inſignia, his Actis comprehendere inſtituiſſemus: facile ingentis voluminis ſegetem congerere nobis licebat. Verum et patientiae Lectorum, ſumtibusque ab iis erogandis, parcendum erat; et modeſtiae quoque noſtrae conſulendum, ne repetitas tot libellis et carminibus laudes noſtras nimis cupide amplecti videremur. Itaque in eo quidem grati animi ſenſibus declarandis non defuimus, quod in Narratione his Actis praemiſſa, nullius e tot Viris egregiis nomen et libellus praetermiſſa ſunt, qui beneuolentiae et amicitiae erga nos ſuae monumentum aliquod publicum exſtare voluerunt. His nuper demum acceſſit Plur. Reuer. Gottlob Fridericvs Oertel, Phil. Mag. et Paſt. Malitzſchkendorpienſis in Circulo Elect. Sax. miſſa ad nos Diſſert. de dictis biblicis, ſatis quidem dogmatice piis; ſed non ſatis exegetice accuratis. Ceterum ea tantummodo his Actis in-

 ſeren-

ſerenda exiſtimauimus, quae vel neceſſariam cum Solennibus noſtris coniunctionem haberent; vel publico inclutarum quarundam Academiarum nomine edita eſſent. Vtinam vero in horum ipſorum paucitate non recenſendi eſſent, qui extremam fere mortalium laborum curam his Actis noſtris, ipſisque Sacris Secularibus condecorandis impenderunt! Nam hac ipſa die, qua haec litteris mandamus, non ſine graui moerore Academiae diem ſuum obiit Venerabilis Senex, GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMERVS, in quo quantam iacturam fecerimus, ſi admoneremus Lectores, hoſpites propemodum eos in republica litteraria iudicaremus. Eum paucis diebus moriendo antecesserat praeclarus item inter paucos chalcographicae artis magiſter in vrbe Lipſica, CHRISTIANVS GOTTLOB GEYSERVS, qui numum ſecularem Academiae in fronte horum Actorum non modo aere expreſſum perquam ſcite reddidit; verum etiam ingenioſis ſymbolis exornauit. Sed vtriusque Viri memoriam, vel tacentibus his Actis aut oblitteratis, immortalium operum beneficio, ſerae poſteritati traditum iri, nemo dubitauerit. Scr. Vitebergae, A. N. C. CIↃIↃCCCIII. a. d. IV. Aprilis.

INDEX

Index

eorum, quae hoc Volumine Actorum continentur.

XII.

ACTA

ACTA
SACRORVM SECVLARIVM.

A

BREVIS NARRATIO

DE

SOLENNIBVS SACRORVM SECVLARIVM

A. C. cIↃIↃCCCII

A. D. XVIII. OCTOBR. ET SEQV.

CELEBRATIS.

Appropinquabat tandem faustus ille dies, et tot votis expetitus, quo memoriam conditae ante hos tercentos annos Academiae, et vero etiam in mediis periculis, et multis et magnis, feliciter conseruatae, recolere nobis iucundissime liceret. Tum autem primum omnium, inter gratissimos erga DEVM O. M. sensus, qui cunctorum animos et ora occupabant, adeundus fuit supplici prece SERENISSIMVS PRINCEPS ELECTOR, Dominus noster Clementissimus, vt, quam innumeris beneficiis non modo sartam tectam, sed etiam florentem et beatam praestitisset Academiam, eam vellet, iuberet huius tanti gaudii documenta nonnulla publice, et cum dignitate quadam, edere; adderetque etiam de maiestate Sua solennibus eius rei caussa parandis splendorem quendam singularem, qui, quantus esset Eius in litteras et litterarum sacraria amor, per hanc quoque opportunitatem testificaretur. Annuit his desideriis Indulgentissimus PRINCEPS, ea munificentia, vt, quod

optaremus, nihil omnino fupereffet. Nam et veniam celebrandorum folennium liberaliter petentibus conceffit; et eximiam pecuniae vim in fumtus ea de caufa erogandos donauit; denique etiam Legatos defignauit, qui Suo Nomine intereffent his diebus feftis: Viros Perilluftres et Generofiffimos, CAROLVM ERNESTVM DE LOCHAV, SERENISS. ELECTORI a Confiliis fanctioribus, Eiusdemque in Circulo Saxoniae Superioris Praefectum, et ADAMVM FRIDERICVM AVGVSTVM DE WATZDORF, Curiae Prouincialis Electoratus Saxoniae Praefidem, tanto magis nobis exoptatos, quo plura iam, eaque clariffima, beneuolentiae eorum figna accepiffet Academia.

Proxima illius cura in eo verfata eft, vt per omnem Germaniam, qua bonis litteris honos quidam praecipuus habetur, publicaretur inftantis fefti diei fui laetitia, in eiusque focietatem inprimis vocarentur respublicae illae litterariae, arctiori cum ea vinculo copulatae. Itaque hoc muneris demandatum eft Io. CHRISTIANO HENRICI, Eloquentiae Prof. P. O., vt fcripto formulaque folenni, nomine Rectoris et Academici Senatus proponendis, eius rei notitia quam latiffime diffunderetur. Hoc ille ita exfecutus eft, vt non modo afperiora quaedam fata, quibus preffa eft fuperiori feculo Academia, fed etiam numero et pondere multo maiora laetiffimi generis commemoraret, quae, gubernante has terras, quo nunc gloriatur PRINCIPE, fuccefferunt. Qui poftquam libellus ad omnes Academias Germaniae, etiam Regiomontanam in Pruffia, et Dorpatenfem in Liuonia, quippe vtramque Germanicae originis, transmiffus eft: eae protinus fecutae funt illarum congratulationes, non minore humanitate quam eloquentia conditae, vt facile appareret, neceffitudinem illam pulcherrimam, quae ab omni inde aeuo, communis doctrinae melioris cultores, etiam in vltimis oris inter fe iunxerat, ne hodie quidem

quidem dissolutam esse. Neque hoc tantum dederunt petitioni nostrae, vt haec solennia ciuibus suis commendarent enixius; sed nonnullae etiam earum Oratoribus suis ad nos delegandis, singularibus scriptis, orationibus habendis, festis ritibus aliis, honori nostro peramanter consuluerunt.

Haec dum aguntur, nihil quoque a nobis praetermissum est, quod apparatus ad instans sacrum seculare rite peragendum postularet. In quo rursus egregium adiumentum e liberalitate OPTIMI PRINCIPIS cepimus, qui et securitatis publicae caussa, praesidiarios milites numerosiores vrbem occupare iussit; et exornandae aedi Academicae splendida aulaea largitus est: opus insigne, contextum ad lineas, quas clarissimus artifex, ALBERTVS DVRERVS, duxerat; imo et lautioribus epulis nostris prospicere dignatus est. Deinde sociato cum reliquis Magistratibus consilio, eos perquam faciles et efficaces in commodis nostris adiuuandis experti sumus. Praenobiliss. certe AXTIVS, Circuli Electoralis Saxonici Praefectus ciuilis, quae ad victus copiosi et parabilis necessitatem in tanta hominum, quae sperabatur, multitudine pertinebant, alia etiam nostri caussa, diligenter curauit. Inprimis autem SENATVS vrbis Amplissimus vltro et perquam officiose, neque ille sine grauibus sumtibus, rebus nostris promouendis operam dedit. Nam, vt alia taceamus, et lithostrotum viae publicae, in foro et adiacentibus vicis renouari ac commodissimum deambulantibus praestari iussit; et spatiosissimum curiae suae atrium vsibus nostris obtulit, egregieque aptatum tradidit et exornatum. Idem praeterea, cum ex omnium Magistratuum decreto, et communibus symbolis parandae essent et disponendae per singulas vrbis regiones lucernae, quae ab hoc inde tempore noctium tenebris illustrandis perpetuo inseruirent, suas tamen in eo partes et operae et sumtuum

 prae-

praecipuas esse voluit. His omnibus non obscurum pignus amicitiae addidit carmen theotiscum, quo, quantum laetetur bonis nostris, eleganter et suauiter exposuit.

Videres iam medio mense Octobri, ex vniuersa Saxonia nostra, partim et vicinis terris, imo et longinquioribus, confluere in hanc vrbem ingentem omnis conditionis, sexus et aetatis hominum numerum, qui non modo spectatores adfuturi essent solennium nostrorum; sed etiam animis studiisque rarae felicitati nostrae fauerent. In his fuere non pauci, qui olim variis litteris in hac Academia imbuti, iam admoti muneribus publicis, amorem tamen erga matrem nutritiam adeo non deposuerant, vt etiam gratae recordationis et communicandae laetitiae caussa denuo adeundam existimarent. Neque vero obseruantiae et reuerentiae suae erga summos Viros, qui in Aula Electorali et Vrbe Dresdensi res publicas patriae ciuiles et ecclesiasticas moderantur, a quorum etiam auctoritate et commendatione permulta hoc festo tempore in nos fluxerunt emolumenta, defuit Academia. Etsi autem precibus nostris, vt praesentes singulare decus adderent solennibus nostris, obstaret negotiorum, quibus occupabantur, grauitas; tamen haec vota nostra non prorsus irrita fuere. Nam et Illustrissimus Comes DE HOHENTHAL, Supremi Collegii Prouocationum Praeses, et Illustris HEYDENREICH, in Summo Senatu Ecclesiastico Consiliarius, sacris nostris comiter interfuere. Eadem e Lipsica Vrbe et Academia profecti, Perillustris DE WVTHENAV, Supremae Curiae Prouincialis Electoralis Iudex, et complures bonarum litterarum Doctores publici priuatique, condecorauere. Sed omnium exoptatissimus nobis fuit aduentus Splendidissimorum LEGATORVM ELECTORALIVM; neque minus exhilararunt nos Viri praeclari, quos illustres quaedam Academiae, testes suae erga nos beneuolentiae, delega-

delegarunt. Lipſienſis quidem Vener. KEILIVM, Theologiae Prof. P. O. et Excellent. ECKIVM, Poeſeos Prof. P. O. Francofurtana ad Oderam Excell. WEBERVM, Oeconom. Discipl. Prof. P. O. Helmſtadienſis denique Vener. HENKIVM, Abbatem Reg. Lutterae, et Theol. Prof. P. O. cum Ill. SCHVLZIO, Conſil. Aul. Seren. Ducis Brunouic. et Philoſ. Prof. P. O. eo munere fungi voluerunt. Quibus omnibus ii honores publice habiti ſunt, qui non modo loci, quem tenebant, dignitati, ſed etiam eximiis eorum virtutibus, ingeniique et animi dotibus debebantur.

Conuerſis igitur et intentis ad ſolemnia noſtra tot bene nobis precantium mentibus atque oculis, aſcendit ſuggeſtum eccleſiaſticum in Aede Parochiali, Dominica XX. poſt Feſtum SS. Trinitatis, a. d. XVII. Octobris, h. e. pridie natalis huius Academiae, CAROLVS LVDOVICVS NITZSCHIVS, Theol. D. et Prof. P. O. Paſtor Eccleſiae B. M. V. Conſiſt. Eccleſiaſt. Aſſeſſor, et Circuli Elect. Saxonici Superintendens Generalis, dixitque de vera ratione participandi cum ſacris ſecularibus Academicis. Ea vero qualis eſſe debeat, primum docuit: nimirum gaudium et generoſum et pium; cum haec ſacra in memoriam reuocent, non modo quam beneficum ſit propagatum ad longe plurimos imperium veri; ſed etiam, quanta ſapientia Numen ſupremum hanc veri dilatationem et auctoritatem regat. Deinde effectus huius egregiae coniunctionis oſtendit eſſe praecipue hos, vt candida et ſtrenua indefeſſaque mente verum ſcrutemur; idem autem modeſte quidem, ſed tamen et impauide, tueamur. Quae omnia denique ad veriſſimas de religione et pietate chriſtiana ſententias, in hac Academia inde ab eius incunabulis propoſitas, transferenda iudicauit.

Poſtero

Poſtero die, eoque principe ſolennium noſtrorum, quod olim a. d. XVIII. Octobris inaugurata eſſet haec Academia, cum prima ſtatim luce, concentibus muſicis, aliisque incitamentis publicis ad communia gaudia prouocati eſſent huius vrbis incolae: conuenere ad horam matutinam VIII. quicumque vel muneris et cuiusdam nobiscum adfinitatis, vel honoris cauſſa, ducendae in Aedem Academicam pompae, inuitati eſſent. Eſt in extrema vrbis regione, qua ad orientem vergit, contiguum muro aedificium ingens, et vetuſtate ſua, et rerum magnarum initiis venerabile. Vulgo Auguſteum, ſeu Collegium Diui AVGVSTI vocant, quod AVGVSTVS Elector, ille ſui ſeculi Muſagetes, emtum et amplificatum donauit Academiae; nuper autem Clementiſſimo DOMINO noſtro ſumtus benigne ſuppeditante, multo magis publicis vſibus accommodatum eſt. Hic bibliotheca Academica, cum alia ſtudiis Vngarorum litterariis inſeruiente; hic hortus medicus, hic coenatio ciuium Academicorum, qui Principali munificentia aluntur, aliaeque inſtitutorum publicorum ſedes cernuntur; ibidem et Lvtheri ſupereſt cubiculum, qui primum in hoc coenobio, deinde, cum propria ei domus eſſet, vitam apud nos omnem transegit. Ex eo Collegio, cuius aditus in ſpeciem horti exornatus patebat, progreſſus hominum fere ſexcentorum coetus, hunc ordinem tenuit. Aperiebant viam cataphracti nonnulli equites, quorum alii cum peditibus plurimis in plateis et publicarum aedium oſtiis per ſtationes diſpoſiti, irruituram multitudinem longe arcebant; curante omnem eam militarem disciplinam egregie Generoſiſſ. de Boxberg, vigiliarum praefecto. Iam primi incedebant quatuor ordinum ductores cum caduceis, (veteri vocabulo Marſchalcos appellant,) quos quatuor miniſtri publici cum ſceptris argenteis conſequebantur. Tum vero Rector Academiae, Ioannes Iacobvs Ebertvs, Mathematum Prof. P. O. procedebat, muneris inſignibus ornatus; quem deſignatus ſucceſſor,

ſor, MICHAEL WEBERVS, Philoſ. et LL. AA. Magiſter, Theologiae Doctor et Prof. P. O. Stipendiatorum Electoralium Ephorus, comitabatur. His iungebant ſe Profeſſores omnium Ordinum cum Protonotario et Quaeſtore Academiae. Alii ductores erant Curiae prouincialis Aſſeſſorum; alii Praefecturae ciuilis; alii Conſulum cum Senatu vrbano; Hoſpitum quorumdam honoratiſſimorum, Doctorum et Licentiatorum, Verbi diuini praeconum, aliorumque, qui in hac vrbe litteris, artibus, linguis publice priuatimque docendi, et magiſteriis exercitiorum occupantur. Denique longo agmine ſtudioſa litterarum in hac Academia iuuentus ſequebatur. Haec in ſex gentes diuiſa nitebat, quibus per ſortem hic ordo obtigerat, vt primum locum Exteri, (erant autem plerique Vngari,) ſecundum et reliquos Montani, Thuringi, Saxones, Luſati, Miſnenſes tuerentur; ſuis quaeque vexillis, gentilitiis ſignis, ſingulari etiam et pereleganti veſtium varietate diſtincta eminebat. Proximo loco tendebant, qui ex aliis Academiis, inprimis Lipſienſi, ſed etiam Ienenſi et Halenſi, bonarum litterarum Studioſi ad nos acceſſerant, prope ducenti. Agmen vniuerſum, amouendae turbae, claudebant equites ſupra dicti generis; eidem autem intermixti erant chori muſici, quorum concentus perpetuo exaudiebantur; non ceſſante interea aeris campani pulſatione de vtriusque aedis ſacrae turribus.

Vbi in templum Academicum ventum eſt, quod ante hos triginta annos, niſi ſplendidius, at certe, quod maxime conueniebat ſublimi eius dignitati, grata ſimplicitate commendabilius, reuiuixit, ſuntque ſubſellia ſingulis Ordinibus, area autem omnis templi Studioſis litterarum attributa, honorifice in idem deducti ſunt Splendidiſſimi Legati, et Oratores Academiarum grauiſſimi, iisque locus primarius adſignatus eſt. Tum vero vniuerſa concio ſacris peragendis vacare coepit, quae

hymnis decantandis, et parte carminis theotisci ad modulationem musicam exigenda, constabant. Post haec solennis e cathedra sermo secularis habitus est a IOANNE FRIDERICO SCHLEVSNERO, Theol. D. et Prof. P. O. ad Aedem Arcis et Academiae Praeposito, et Consist. Eccles. Assessore, qui, comparata huius diei pietate publica cum ea, quam sacer olim vates (Psalm. C, 4. 5.) cecinerat, verba fecit de sensibus vere christianis, qui nos in his solennibus deceant. Eos quidem censendos esse ostendit partim candidissimis grati animi erga DEVM O. M. affectibus; partim consiliis de vita et moribus emendandis, rectissimis, constantissimis; denique votis bonae spei plenis pro salute Academiae et litterarum. His sponte quasi se adiungebant solennes precum formulae, quas idem SCHLEVSNERVS absoluto sermone recitauit. Nunc, decantata a symphoniacis altera carminis theotisci parte, et reliquis sacris peractis, transitum est ad nouum Magistratum Academicum inaugurandum. Decedens igitur de hoc munere EBERTVS, cum successore WEBERO, cathedram ingressus, ex qua renunciatio Rectorum institui solet, verbis admodum paucis hoc significans, nouum Rectorem congratulando proclamauit. Qui postquam insignia concrediti ex decreto collegarum muneris induit et accepit, carmine latino non modo felicitatem huius diei celebrauit; sed etiam vota nuncupauit pro salute CONSERVATORIS Academiae INDVLGENTISSIMI, pro incolumitate Academiae, eiusque fautorum. Secutus est hymni, qui vulgo Ambrosianus dicitur, concentus, quo ad exitum producto, ex eadem cathedra IOANNES CHRISTIANVS HENRICI, Prof. Eloq. Orationem habuit secularem de actis et fatis quibusdam Academiae Vitebergensis propriis et singularibus. Ad acta quidem huius generis retulit ea, quae in emendandis sacris; in puriori fidei professione conscribenda; in restituenda ingeniorum libertate; in restaurandis litteris humanitatis; oraculis diuinis in linguam vernaculam transferendis; in tuenda denique et

defen-

defendenda sincera religionis facie, a doctoribus eius gesta sunt; ad fata autem, quae prae aliis Academiis tristia experta est, pestis vastationes et furores bellorum. Sed maxime laeta acquieuit haec oratio in FRIDERICI SAPIENTIS et FRIDERICI AVGVSTI nostri virtutibus inter se comparatis, et meritis in Academiam, desiitque in votis solennibus. Hinc pari pompa, qua antea, nisi quod ei nouus splendor a comitantibus Perillustribus Legatis et Spectatissimis Academiarum Oratoribus accederet, discessum est ex Aede Academica in Curiam ad epulas ibi paratas, ad quas conuiuae plus quam ducenti accubuere, hilaresque iis interfuere vsque ad vesperam, multo minus dapibus, quam communi laetitia, amico omnium ordinum consensu, et musicae artis illecebris recreati.

Verum hic dies in se nobis iucundissimus et in omne aeuum memorabilis insperata gaudiorum incrementa cepit ex insigni liberalitate Perillustris DE WATZDORF, Legati Electoralis. Hic enim diplomate tradito Rectori Academiae WEBERO, mille Ioachimicorum summam donauit Bibliothecae Academicae, hac quidem lege, vt ex annuis vsuris huius pecuniae classici in omni genere disciplinarum et artium libri posthac coëmerentur. Cuius Legati Watzdorfiani — hoc enim nomine deinceps celebrabitur — gratam memoriam non Academia solum, sed litterae ipsae ad vltimam posteritatem propagabunt. Neque tacendum est hoc loco aliud beneuolentiae erga nostras res documentum egregium, quo ab Excellentissimo et Illustribus Viris, qui Collegio cognoscendarum et iudicandarum caussarum militarium Dresdae praesunt, ornati sumus. Missum enim est ab iis donum sexaginta Ioachimicorum, tribuendum Studioso litterarum pauperi et diligenti, a quo descriptio solennium nostrorum secula-

rium Ipſis porrigenda ſit. Hoc munus collatum eſt in ILLINGIVM, qui acta noſtra iudiciaria vicario nomine curat; eſtque ab eo narratio huius argumenti ſermone theotico ſcripta, et typorum formis in lucem edita, ſatis illa copioſa; vt qui minutiora etiam perſequatur, quae breuitas noſtra non capit.

Iam ſecundo et tertio die ſacrorum noſtrorum, quibus honores Academici omnium Ordinum impertiendi erant Viris doctiſſimis, eadem pompa, qua primo die, et ex eodem Collegio, itum eſt in aedem Academicam, et reditum in Curiam; niſi quod reliqui Magiſtratus et alii pauci abeſſent; comitarentur autem nos etiam ii, qui praeſentes illorum honorum compotes fieri vellent. Igitur a. d. XIX. Octobris, poſt muſicorum modulos, aedem ſacram perſonantes, prima Theologorum panegyris coepit. Eam paullo ante MICHAEL WEBERVS, D. et Ordinis ſui Procancellarius, programmate indixerat, in quo de conſilio, quod Ieſus ſe in miraculis ſuis ſpectaſſe ipſe profeſſus eſt, ſimul et de Magiſtri et Doctoris nominibus, diſſeruit. Nunc FRIDERICVS GVILIELMVS DRESDIVS, Philoſ. et LL. AA. Mag. Theol. D. et Prof. P. O. Ordinis ſui Senior, et Stipendiatorum Electoralium Ephorus, habita prius oratione, qua docuit, quid noſtrae Academiae Theologia debeat; deinde venia a Procancellario impetrata, praemia doctrinae Theologicae Viris eximiis diſtribuit. Ac primum quidem

I. CHRISTIANVM GOTTLIEB CLVGIVM, AA. LL. et Philoſ. Mag. Paſtorem apud Miſenenſes Afranum, qui iam Iunio menſe huius anni, defenſa in hac Academia Diſputatione: de verbis Paulinis ad Hebr. II, 2. ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος, ad legem Sinaiticam, quam dicunt angelorum miniſterio latam, male reuocatis, adiecto varia S. S. loca interpretandi tentamine, honores illos conſecutus erat,

Docto-

Doctorem Theologiae renunciauit. Tum vero XI. Theologiae Licentiatos iisdem honoribus ornauit, ordine eo, quo illos petierant; quorum nomina subiecimus.

II. IOANNEM GEORGIVM CHRISTIANVM HOEPFNERVM, AA. LL. et Philos. Mag. Professorem Lipsiensem, absentem; qui Speciminis inauguralis loco libellum exhibuit, hoc indice praescripto: Historia Tobiae, graece; textum ad fidem Codd. emendauit et illustrauit. Specimen I.

III. FRIDERICVM CHRISTOPHILVM DOERINGIVM, Concionatorem Aulicum Dresdensem, absentem; sed qui paucis ante diebus libellum: super doctrina sacrarum Scripturarum de morte Iesu Christi vicaria, et propter hanc fidei lege impetranda peccatorum venia, e cathedra publica a virorum doctorum obiectionibus vindicauerat.

IV. CHRISTIANVM GOTTHELF KVPFERVM, Pastorem Cizensem, Episcopatus Numburgensis Superintendentem, et Consistorii Electoralis Assessorem, absentem; sed qui et ipse mense Septembri Dissertationis suae: de ratione constituendi articulos fundamentales religionis christianae, defensionem publicam apud nos susceperat.

V. FRIDERICVM LEBRECHT KOCHIVM, Philos. et LL. AA. Mag. Pastorem et Superintendentem Torgauiensem, praesentem; qui ineunte Octobri, Dissertationem: de Deo poenas eas, quae per ipsam naturam, et physico causarum nexu, peccata sequi dicuntur, remittente, publice defenderat.

VI. HENRICVM GOTTHILF OERTELIVM, AA. LL. et Philos. Mag. Praepositum et Superintendentem Schliebenensem, prae-

 sentem;

ſentem; a quo etiam eſt libellus: de oratione Ieſu montana, eiusque conſilio, publice defenſus.

VII. Ioannem Georgivm Avgvstvm Hackervm, AA. LL. et Philoſ. Mag. et Concionatorem Aulicum Dresdenſem, primario proximum, abſentem; qui per hanc occaſionem Diſſertationem de deſcenſu ad inferos 1 Petri III, 19. 20. ad prouinciam Meſſiae demandatam referendo, edidit.

VIII. Gotthardvm Fridericvm Oppeltvm, Paſtorem et Superintendentem Pegauienſem, abſentem; a quo publice propoſitus eſt libellus de fidei in Chriſtum iuſtificantis ad emendandae vitae ſtudium vſu.

IX. Ioannem Fridericvm Gvilielmvm Tischervm, Paſtorem et Superintendentem Plauienſem, abſentem; cuius prodierunt Scholia in locum Galat. III, 1 – 20.

X. Lavrentivm Carolvm Sjöbergivm, AA. LL. et Philoſ. Mag. et Profeſſorem, Sacrorum Miniſtrum primarium apud Claſſiarios Suecos, Sveaborgi in Finnlandia collocatos, praeſentem; cuius libellus de Eccleſiae ſub tutela Principis vere Chriſtiani ſorte feliciſſima, litterarum formis exſcriptus eſt.

XI. Martinvm Christianvm Polycarpvm Keilivm, AA. LL. et Philoſ. Mag. Paſtorem et Superintendentem Friburgenſem, e gente Lvtheri oriundum, abſentem; qui Ordini Theologorum ſpeciminis loco exhibuit: Conſenſus librorum diuinorum temere negati Vindicationem I. quae et in publicum prodibit.

XII. Ferdinandvm Fridericvm Graefenhainivm, AA. LL. et Philoſ. Mag. ad aedem nouam Lipſienſem Protodiaco-

diaconum, absentem; cuius specimen Animaduersiones in locum Epist. ad Philippens. C. II, 5–12. continet.

XIII. IOANNEM ERNESTVM DANIELEM PAROVIVM, AA. LL. et Philos. Mag. Theologiae Baccalaureum, et Ordinis Philosoph. in Academia Gryphiensi Adiunctum ordinarium, absentem; cuius Commentatio nuper edita, qua Athanasii vera de diuinitate Iesu Christi sententia firmatur, speciminis inauguralis loco habita est.

In his autem Doctoribus Theologiae creandis DRESDIVS et formulis et ritibus solennibus vsus est, quae maiorum instituta postulabant. Deinde cum ex eodem veteri more scribenda sit Decano Ordinis inuitatio ad Candidatorum suorum Disputationem audiendam et Inaugurationem spectandam: neque huic officio defuit NITZSCHIVS. Nam primum edito Programmate, discrimen legislationis et institutionis diuinae in vniuersum explicauit; porro tribus aliis discrimen hoc ab ipso IESV CHRISTO agnitum esse, probauit, confirmauit et defendit; quinto, quomodo idem ex epistolis PAVLI cognoscendum sit, docuit; denique sexto de peccato, homini cauendo, quamquam in hominem non cadente, ad illustrandos Scripturae locos de peccato irremissibili, exposuit.

Paullo post, iisdem fere caerimoniis, ab ERNESTO GOTTFRIDO CHRISTIANO KLÜGELIO, I. V. D. Codicis Prof. P. O. Curiae Prouinc. Elect. Consistorii Ecclesiast. Scabinatus et Facult. Iurid. Viteberg. Iudicii item Prouincialis in Lusatiae Infer. Marchionatu Assessore Ordin. facultatem ei concedente Procancellario, GOTTLIEB WERNSDORFIO, I. V. D. Digesti veteris Prof. P. O. et eorumdem Collegiorum Assessore, recitata etiam oratione de consilio Iurisconsultorum in legibus ferendis adhibendo, ad

Ael.

Ael. Lamprid. vit. Alex. Seueri, c. 16. XII. Iuris vtriusque Licentiatis, partim munerum publicorum, partim ſcientiae nomine, ſatis probatis, ſummi in hoc genere honores, inſignia et priuilegia tributa ſunt. Eorum nomina adiecimus.

I. Gottlob Avgvstvs Gvilielmvs Pfotenhaver, Dobina Saxo, in Curia Elect. Prouinciali et Conſiſtorio Eccleſiaſtico Viteberg. cauſarum patronus.

II. Canvtvs Henricvs liber baro de Bonde, Eques Suecus.

III. Theophilvs Polycarpvs Cranold, Eilenburgenſis, Praetor vrbis patriae et cauſarum patronus.

IV. Ioannes Avgvstvs Baver, Zeuda Saxo, apud Miſenenſes cauſarum patronus.

V. Christianvs Fridericvs Kretzschmar, Neoſtadio Dresdenſis, Praetor vrbis patriae, et cauſarum patronus.

VI. Gottlob Henricvs Schvltze, Miſenenſis, Senator Dresdenſis, et patronus cauſarum.

VII. Gotthilf Samvel Glasewald, Wiederauia Saxo, Syndicus Dahmenſis, et cauſarum patronus.

VIII. Albertvs Samvel Bielitz, Liebenwerda Saxo.

IX. Carolvs Adolphvs Kriegel, Oederanus, cauſarum patronus.

X. Fridericvs Avgvstvs Ritze, Torgauienſis, cauſarum patronus Vitebergae.

XI. Ioannes Fridericvs Kremsier, Sorbigenſis, cauſarum patronus.

XII.

XII. Ioannes Adolphvs Steinhävser, Plauia Varifcus, caufarum patronus.

Ex his Pfotenhavervs fuperioribus iam menfibus, defenfa publice Differtatione, Licentiati honores meruerat. Perill. de Bonde fpecimen de libero commercio nationum belli haud fociarum, Ordini Iuridico obtulit, Lipfienfium formis editum. Publicatae etiam funt Commentationes Cranoldi: de Iurisprudentia Lutheri; Baveri, qui Germanorum veterum quosdam mores ad hodiernum Ius Saxonicum Electorale retulit, et Kretzschmari fuper quaeftione: ex quibus principiis controuerfiae matrimoniales Catholicorum in Confiftoriis Euangelicis decidendae fint? Reliquorum libelli Ordini exhibiti propediem chalcographorum opera prodibunt. A Klügelio autem, qui tum Decani munere fungebatur, indicendis his folennibus fcripta funt Programmata quatuor; tria quidem de legitimatione ad caufam; quartum de magiftri nauis perfcrutandae legitimatione officiali.

Sed nouo, eoque fuauiffimo, non modo aurium blandimento, verum etiam incitamento religiofae pietatis, fub vefperam eiusdem diei in eadem aede Academica frui nobis cum auditoribus fere mille quingentis licuit. Quae fublimior voluptas vt nobis contingere poffet, effecit potiffimum fumma in nos indulgentia SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO DESSAVIENSIS. Debet illi iam a permultis inde annis Viteberga, et Academia inprimis noftra, quod in vicino Wörlitzio fuo et liberalioris oblectationis locus in promtu eft, et omnium propemodum artium elegantiorum fpectaculum. Nunc, petente reuerenter Academia, vt fymphoniacorum Aulae Suae et reliquorum muficorum choros folennibus noftris commodare dignetur, eos cum SERENISSIMO FILIO, admirandum fimul Vterque in nos fauorem profeffus, lubenter

con-

concessit. Ita factum est, vt nobilissimum illud carmen melicum theotiscum, quod Creatio inscribitur, estque ab HAYDNIO, praestantissimo in arte sua Viro, ad numeros modulosque quam scientissime reuocatum, non tantum audiri a nobis, sed etiam intimis animorum sensibus accipi potuerit. Cum autem iam superiori die aedes per vrbem plurimae lampadibus collustratae essent, hac secunda multo maior et luculentior earum copia spectata est, ornantibus eas et inscriptionibus et imaginibus symbolicis, eminenteque his decoribus arcu, quem in aditu Curiae exstrui voluerant ciues Academici.

Successit denique a. d. XX. Octobris distributio honorum ab Ordine Medico et Philosophico conferendorum. Ex illo primus GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMERVS, SERENISS. ELECTORIS Aulae Consiliarius, Philosophiae et Medicinae Doctor, Therapiae Prof. P. O. Ordinis Medicae et vniuersae Academiae Senior, Physicus Prouincialis, Societatis oeconomicae Lipsiensis Sodalis, et Ordinis sui hoc tempore Decanus, Senex octogenarius, cum quo paucis ante mensibus Academia semisecularem muneris, quod gerit, Professorii memoriam laeta celebrauerat; praemissa Oratione, qua recentiorum Medicorum in Academiam merita renouauit, Candidatos, qui sequuntur, nouem publice approbatae eruditionis, Doctores Medicinae creauit ac renunciauit.

I. HENRICVM GOTTLOB MEYERVM, Medicum apud Luccauienses praeclarum, cuius Licentiati semisecularis honores recoluerat nuper Ordo Medicus.

II. CAROLVM GOTTLOB STOEHRER, Medicinae Practicum Delitzschiensem, Praefecturae Bitterfeldensis Physicum, qui iam A. cIↃIↃCCXCV. praeside BOEHMERO, Dissertationem de

de quibusdam Paragomphoſeos remediis, praeſertim forcipis vtilitate, adiecta imagine ex aere expreſſa, publice defenderat.

III. IOANNEM CHRISTOPHORVM AVGVSTVM KOTZE, Medicinae Practicum Neoſtadienſem, prope Stolpenam, qui A. cIↃIↃCCC. praeſide FRIDERICO LVDOVICO KREYSIGIO, Medic. D. et Pathol. ac Chirurgiae Prof. Publ. Ordin. Vic. libellum de Sacramento baptiſmatis adminiſtratione, ciuium neonatorum ſanitati accommodanda, ad disputandum propoſuerat.

IV. GOTTLOB FRIDERICVM SIGISMVNDVM LOEWE, Fribergenſem, praeſentem, qui eodem praeſide, iam Anatomiae et Botanices Prof. P. O. menſe Septembri A. cIↃIↃCCCII. Diſſertationem de habitu cutis ſemiotico pathologico, publicae disceptationi obtulerat.

V. GODOFREDVM HENRICVM SCHMIDT, Gommeranum, praeſentem, a quo, praeſide TRAVGOTT CAROLO AVGVSTO VOGT, Philoſ. et Medic. Doct. Patholog. et Chirurg. Prof. P. O. Vicar. Phyſici Praefecturae Viteberg. nec non oppidi Kembergae Adiuncti, Societ. Oecon. Lipſ. Sod. Honor. Ord. Med. Viteb. h. t. Decano, eodem menſe Diſſertatio de Hydrocele publice defenſa erat.

VI. GEORGIVM GVILIELMVM KVHN, Fribergenſem, praeſentem, qui, quam ſcripſerat de Haemorrhagia vteri Diſſertationem, eodem menſe, praeſide KREYSIGIO, ab oppugnationibus vindicauerat.

VII. IOANNEM FRIDERICVM STEINHÄVSER, Plauia Variscum, praeſentem, cuius Diſſert. inauguralis de Aphtis, menſe eodem, praeſide BOEHMERO, acroaterium occupauerat.

VIII. Fridericvm Avgvstvm Wiesner, Dresdenſem, praeſentem, cuius libellus de Spaſmo ventriculi, menſe ſaepius laudato, praeſide Vogtio, publicum certamen ſubierat.

IX. Christianvm Henricvm Drechsler, Lipſienſem, praeſentem, qui dicto menſe, praeſide Boemero, libellum de Cholera publice tuendum ſuſceperat.

Indixerant hos eorum agones litterarios, qui tum Decani munus in Ordine gerebant: Salomo Constantinvs Titivs, Med. D. Anatomiae et Botan. Prof. P. O., qui immaturo fato, et bonis omnibus flebilis, ante hoc biennium ereptus eſt Academiae, ſcripta proluſione, quae experimentorum Ticinenſium, in quibus diabeticorum vrina ſub examen vocatur, enarrationem cum epicriſi complectitur; Kreysigivs, qui Meditationes repetitas de peripneumonia, inprimis neruoſa, edidit; denique Vogtivs, a quo libelli quatuor de habitu oculi cum habitu cutis maxime conſentiente; duo autem alii, quibus cauſſae quaedam hydroceles curationem palliatiuam ſeu potius imperfectam excuſantes commemorantur, in lucem prolati ſunt.

Poſt hunc Ioannes Matthias Schroeckhivs, Hiſtoriar. Prof. P. O. Ordinis ſui Senior, et Bibliothecae Academicae Director, vbi breuiter dixerat de fatis ſtudiorum liberalium et melioris doctrinae in Ordine ſuo per haec tria Secula, commendante ei Conrado Gottlob Antonio, Linguar. Orientt. Prof. P. O. et Electoralium Stipendiatorum Ephoro, viros partim muneribus publicis inſignes, partim teſtimoniis doctorum ſuorum, et eruditionis ſpeciminibus, quae Ordini huic obtulerant, ſatis ornatos, qui honores Philoſophiae et bonarum artium ſummos petierant, tribuit eos Candidatis XXXV. Eorum nomina haec ſunt:

I. Ca-

I. CAROLVS LIBER BARO DE BONDE, Eques Suecus, Iuris vtriusque Candidatus.

II. CHRISTIANVS FRIDERICVS LAVNITZ, Paſtor Eccleſiae Grobinenſis in Curonia.

III. CHRISTIANVS CONSTANS FRENKEL, Diaconus Eccleſiae Görlicenſis.

IV. IOANNES GOTTLOB FRITZSCHE, Paſtor Eccleſiae in Pago Obhauſen S. Petri, Dioeceſ. Querfurt.

V. CHRISTIANVS THEOPHILVS WOLF, Scholae Leucopetrenſis Rector.

VI. IOANNES MARTINVS SCHÜLER, Gymnaſii Schleuſingenſis Conrector.

VII. VALERIVS DE KAMINSKI, Lithuanus, litterarum humaniorum Cultor.

VIII. CHRISTIANVS AVGVSTVS LOBECK, Numburgenſis, Ord. Phil. Viteb. Adiunctus Ordin.

IX. CHRISTIANVS AVGVSTVS NOCH, Catecheta ad Aedem D. Petri Lipſienſem.

X. IOANNES AVGVSTVS ADLER, Catecheta ad Aedem D. Petri Lipſ.

XI. CAROLVS CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHMIDT, Portenſis, Reu. Miniſterii Candid. et Scholae Portenſis Collaborator.

XII. IOANNES FRIDERICVS BARTHOLD, Berolinenſis, Iuriſcientiae Cultor.

XIII. CHRISTIANVS SIGISMVNDVS TRENCK, Saganenſis Sileſius, AA. et Litter. elegantt. Cultor.

XIV. Franciscvs Meixner, Berolinensis, AA. elegantt. Cult.

XV. Carolvs Christianvs Fridericvs Siegel, Mariaemontanus, SS. litter. Studiosus.

XVI. Immanvel Christophilvs Gotthilf Berger, Ruhlandio Lusatus, SS. litter. Cultor.

XVII. Ioannes Gottlieb Hermann, Annaburgo Saxo, Reu. Ministerii Candidatus.

XVIII. Carolvs Gotthelf Ferdinandvs Meyer, Nivemontanus, Rectoris Scholae Schliebensis Substitutus.

XIX. Michael Daetsch, Scholae Leucopetrensis Baccalaureus.

XX. Carolvs Avgvstvs Dietrich, Skeitbaria Merseburgensis, Reu. Ministerii Episcopat. Merseburg. Candidatus.

XXI. Fridericvs Henricvs Leopold, Magdeburgensis, Iurisscientiae Cultor.

XXII. Henricvs Leonhardvs Hevbner, Lauterbaco Montanus, SS. litter. et philolog. Cultor.

XXIII. Carolvs Fridericvs Gvilielmvs] Erbstein, Bibliopola Misenensis.

XXIV. Ioannes Fridericvs Müller, Islebiensis, Reuer. Minist. Candid. Sooiet. mineralog. Ienensis Sodalis.

XXV. Ernestvs Henricvs Ehregott Hoppe, Letza Saxo, SS. litter. Cultor.

XXVI. Ioannes Gottlob Reichel, Cantor Scholae Electoralis Grimmensis.

XXVII. Christianvs Gotthold Petzold, Lichtenhaina Misnicus, SS. litter. Cultor.

XXVIII.

XXVIII. IOANNES THEODORVS HENRICVS MAERTIN, Bierensis Magdeburgicus, Philos. et litt. humanior. Cultor.

XXIX. CHRISTIANVS AVGVSTVS HERTZOG, Ebersbaco Lusatus, Theol. et humanior. litter. Cultor.

XXX. HENRICVS VALENTINVS FINSCH, Finsterwalda Misnicus, SS. litter. Cultor.

XXXI. FRIDERICVS HENRICVS GVILIELMVS DEMVTH, Budissina Lusatus, I. V. Candidatus.

XXXII. IOANNES FRIDERICVS ZIPPEL, Reinsberga Fribergensis, SS. litter. Cultor.

XXXIII. IOANNES AVGVSTVS VLBRICHT, Herzogswalda Misnicus, SS. litter. Cultor.

XXXIV. CHRISTIANVS FRIDERICVS GERSCHNER, Hohensteinio Misnensis, SS. litter. Cultor.

XXXV. ERNESTVS FRIDERICVS PFENNIG, Dresdensis, SS. litter. Cultor.

Idem SCHROECKHIVS, his renunciatis Philosophiae DD. et LL. AA. Magistris, alios Viros quatuor, ingenio, doctrina et carminis pangendi facultate praestantes, Laurea Poetica cinxit:

I. CAROLVM GVILIELMVM DASSDORF, Philos. Doct. et SEREN. PRINC. ELECTOR. SAX. Bibliothecarium.

II. FRIDERICVM GVILIELMVM EHRENFRIED ROST, Philos. Doct. et Scholae Thomanae Lipsiensis Rectorem.

III. GEORGIVM GABRIELEM KLINKICHT, Electorall. redituum percipiendorum Inspectorem Adiunctum, et causarum patronum Pirnensem.

IV.

IV. Ioannem Danielem Schvlze, Numburgenſem, Philoſophiae Doctorem Lipſienſem.

Tum denique vota nuncupauit et gratias egit, quae huic tempori et loco accommodata videbantur. Proluſerat autem his quoque ſolennibus Ioannes Christianvs Avgvstvs Grohmann, Philoſ. Prof. Publ. Extraord. Ordinis Philoſ. Aſſeſſor Ordinarius, Academiae Bibliothecarius, et per aeſtatem huius anni Decanus, iam Profeſſor Logices et Metaphyſices Ordin. publicato libello, quo breuem hiſtoriam Theologiae dogmaticae hoc modo tradiderat, vt eorum potiſſimum, quae diſciplina iſta Academiae Vitebergenſi debeat, ratio haberetur.

Vt autem honeſtiſſimae voluptatis noſtrae per hos dies vſura ad quam maxime multos diffundi poſſet, inſtitutum eſt, vt eodem die ad veſperam vergente, conuentus in Curia haberetur elegantiorum vtriusque ſexus hominum, qui choreis ducendis aliisque oblectamentis liberalibus operam darent. Eorum prope octingenti confluxerant, qui ad diluculum fere, mixtis inter ſe ordinibus omnibus, ſuauiter haec otia transegerunt.

Hunc finem ſortita ſunt ſolennia noſtra: coelo adeo nobis propitio, vt verni, imo aeſtiui temporis amoenitatem referre videretur; tranquillitate publica, in tanta hominum multitudine, ne per minores quidem motus turbata; fauentibus nobis manifeſte, et documenta ſuae in nos beneuolentiae eximia edentibus Viris primariis, qui aderant, auctoritate, ingenio et doctrina eminentibus, noſtraque inſtituta probantibus; denique ſalua vniuerſa Academia, et ciuium Academicorum fama. Licuit etiam nobis, per munificentiam OPTIMI PRINCIPIS, gaudiorum et honorum noſtrorum monumentum aliquod ad poſteros transmit-

tere,

tere, excudendo numo feculari, cuius ectypum aere expreſſum in fronte horum Actorum cernitur. Eius exempla aurea SERENISS. DOMINO noſtro, et AVGVSTAE Eius CONIVGI oblata ſunt, gratae pietatis exile documentum. Argentea autem fere centum LEGATIS SPLENDIDISSIMIS, PROCERIBVS vtriusque Reipublicae adminiſtrandae, ORATORIBVS inclutarum ACADEMIARVM, MAGISTRATIBVS VRBANIS, aliisque rerum noſtrarum fautoribus, tradenda duximus.

Profecto enim per horum ſolennium occaſionem laetiſſimi cognouimus, quot et quanti nobis, communium litterarum et humanitatis cauſſa, in omni Germania amici ſuſpiciendi ſint. Ienenſis quidem Academia, vere illa nobis adfinis, cum per temporum ſuorum rationes non liceret ei, Delegatos ad nos mittere; feſtum tamen diem noſtrum veluti ſuum reddidit. Nam edito Programmate, quo, quanta ſit fueritque ſemper illius cum noſtra coniunctio, ſuauiter exponitur, bonarum litterarum cultores ad audiendam Orationem inuitauit, quae a. d. XVIII. Octobris, gratulatura nobis ſacri ſecularis tertii felicitatem, publice habenda eſſet. Ea recitata eſt in magna Academiae celebritate a Viro Illuſtri, CHRISTIANO GODOFREDO SCHÜTZIO, Conſil. Aul. Vinar. Eloquentiae et Poeſeos Prof. P. O. additique ſub veſperam, concentus muſici, cum coena prope ducentorum conuiuarum, et choreis. Quam nos Orationem laudibus noſtris plane dicatam quod his Actis inſeruimus, vicit in eo grati animi declarandi officium, et verecundiam noſtram tacere iuſſit. Neque minus beneuola in nos mente Academia Iulia Carolina, quae Helmſtadii eſt, publice propoſito libello, quae interceſſerit inter eam et noſtram, inde ab eius incunabulis, neceſſitudo, vere et eloquenter docuit; vt adeo huic quoque monumento locum in Actis noſtris negare nequaquam licuerit. Eumdem debuimus etiam publico

Academiae Duisburgenſis ad Rhenum ſcripto; quo, quam bene nobis cupiat, adeo comiter teſtata eſt, vt, quae nobis laeta acciderint, partem propriae felicitatis exiſtimauerit. In Academia Marburgenſi Vener. WACHLERVS, Profeſſor Theologiae dogmatis Euangelico-Lutherani, ad ſcribendos de rebus Academicis ſermone patrio Aphorismos ingenioſos, ſacris noſtris ſecularibus ſe potiſſimum impulſum fuiſſe profeſſus eſt, quae commune omnium, qui culturam ingenii et humanitatem amant, feſtum appellare non dubitauit. Denique in Academia Gryphiswaldenſi Experientiſſimus et Clariſſimus Vir, CHRISTIANVS GVILIELMVS OVERKAMP, AA. LL. et Philoſ. D. Medicinae Doctor, Ord. Philoſ. Adiunctus, honori noſtro libellum, in quo Narratio ineſt de conſilio condendae Vniuerſitatis Studiorum Vitebergenſis, a diſſidio Duumuirorum Medicorum vel profecto, vel certe tamen adiuto, inſcripſit.

In terris autem noſtris Saxonicis, cum ciuium omnium egregia in nos propenſio patefacta eſt, tum non paucorum, partim quorum ingenia olim aluiſſet et efformaſſet haec Academia, partim qui eiusdem proſperitate laetarentur, publica nobis obtigerunt huius voluntatis teſtimonia. Schleuſingae quidem in Comitatu Hennebergico, ditionis Electoralis, ſocietas virorum doctorum, muneribus publicis inſignium, quorum anteſignanum egit Generoſiſſimus ADOLPHVS HENRICVS DE HEYDENREICH, Supremus Elector. Inſpector Vicarius, carmine theotisco doctoribus quondam ſuis in hac Academia quantopere fauere pergat, quam humaniſſime declarauit. Dioeceſeos porro proximae Zahnenſis Verbi Diuini Miniſtri, praeeunte eorum Ephoro, Max. Reu. CLAVSSIO, Ode latina, D. M. FRIDERICI SAPIENTIS, Conditoris huius Academiae immortalis memoriae, ſacra, parem animo-

rum

rum erga nos concentum ostendere. Accessit his Reu. VLICHIVS, Pastor Ecclesiae Rabensis, carmine et ipse latino eosdem nobis sensus aperiens. In vrbe autem Dresdensi Consultiss. ZANGEN, Philos. et I. V. Doctor, et causarum patronus, tertii Seculi nostri memoriae Commentationem, Aduersaria quaedam iuris ciuilis priuati sistentem, dicauit. Ibidem Clariss. HAYMANNVS, Rector Scholae ad Aedem S. Annae, Romanorum veterum sermone honores nostros cecinit. Etiam in Lipsica vrbe Clariss. SCHVLZIVS, cuius supra iniecta est mentio, eodem orationis genere flores sparsit nonnullis doctorum nostrorum. Praeterea Pirnensium Iureconsultus, Praenob. KLINKICHTIVS, supra nobis laudatus, carmine germanico rerum nostrarum fata et decora celebrauit. In hac ipsa vrbe nostra Plur. Reu. ERDMANNVS, Archidiaconus ad aedem Parochialem, quem pridie solennium nostrorum praeparandis animis auditorum ad ea rite nobiscum obeunda habuerat, sermonem ecclesiasticum typis exscribi curauit; ne iam de ciuibus nostris, WITTICHIO, Med. Candid. et RECKIO, Theol. Stud. dicamus, quorum ille dissertatiuncula, hic poemate theotisco, gratum in Academiam animum explicare conati sunt.

Ita votorum nostrorum omnium compotes facti, noni Seculi Academici initia tanto felicioribus auspiciis cepimus, quo iucundior mentes recordatio subiit beneficiorum eorum, quae nobis DEI O. M. nutu, et FRIDERICI AVGVSTI nostri, non modo Conseruatoris, sed etiam Restauratoris Academiae benignissimi, cura, superiori seculo obtigerunt. Ipse quidem annus secularis infausto se nobis omine offerre videbatur, cum primis eius mensibus tres doctores Academiae publici fato suo fungerentur: GODOFREDVS AVGVSTVS MEERHEIM, Poeseos Prof. P. O. ingenio et doctrina, praesertim historica, non ignobilis; CAROLVS

 DANIEL

DANIEL FREYBERG, Logices et Metaphyf. Prof. P. O., rerum Academicarum inprimis peritus, et CHRISTIANVS GOTTLIEB HOMMEL, I. V. D. et Prof. P. O., Collegiorum iuridicorum Affeffor, et communis fere pragmaticorum per has terras magifter. Sed multo etiam luctuofior nobis eiusdem anni exitus fuit, cum paucis poft facra noftra fecularia diebus, in quorum apparatu regendo praecipuae eius partes fuerant, ante diem nobis eriperetur Vir et doctrina, et humanitate, et rerum agendarum fedulitate ac prudentia, meritisque in Academiam eximiis praeftantiffimus, GOTTLIEB WERNSDORF, Philof. et I. V. Doctor, Digefti vet. Prof. P. O. Curiae Prouinc. Scabinatus, et Ord. Iuridici Affeffor, annos natus LV. Quamquam autem in hoc tali cafu abunde lacrymis locus eft, et mentem mortalia tangunt; tamen et parata nobis folatia videmus, et ad fpes fortunatas potenter erigimur. Tot tam praeclaris doctoribus, vel hac noftra aetate, partim communi omnium forte abfumtis, partim aliarum viciffitudinum legi fubiacentibus, fuperftes eft Academia; et cum certiffimis, imo coeleftibus indiciis perpetuitatem eius augurari liceat, nobis omnibus acclamare videtur, vt, quidquid eft in nobis bonae mentis, ingenii, doctrinae, et feuerae contentionis, id omne religionis et litterarum, quae femper in ea coniunctae viguerunt, diuinitati confecremus.

PRO-

PROGRAMMA

QVO

ACADEMIAE VITEBERGENSIS

SACRA SECVLARIA TERTIA

SOLENNI RITV

FESTISQVE CAEREMONIIS

CELEBRANDA

IN

DIEM XVIII. MENSIS OCTOBRIS HVIVS ANNI CIϽIϽCCCII

FAVTORIBVS EIVS

CVIVSCVNQVE ORDINIS ET DIGNITATIS

RITE INDICIT

EOSQVE

AD HVIVS LAETITIAE PVBLICAE SOCIETATEM

INVITAT

IOANNES IACOBVS EBERT

EIVSDEM ACADEMIAE H. T. RECTOR

CVM SENATV.

Inſtat nobis dies feſtiſſimus, Academiae noſtrae proprius, omnibus laetitiis laetiſſimus, ideoque caſtiſſima pietate, congratulationibus fauſtiſſimis, ſummaque hilaritate concelebrandus. Ex quo enim a conditore ſuo immortalis nominis conſtitutum eſt hoc Muſarum domicilium, tertium ad finem ſuum iam vergit ſeculum, multis quidem rebus ſecundis, et ad omnium vota fluentibus inſigne; ſed idem etiam variis tempeſtatibus,

bus, quibus labefactata et conuulſa propemodum iacuit haec literata ſedes, commemorabile. Largam igitur ſcribendi ſuppeditare poteſt meſſem, ſi forte ſint, qui quaecunque notatu digna maiorum, patrum, noſtraque memoria hic euenerint, quae a permultis horum, non ſine laude magna, ſint ſuſcepta et peracta, quantaeque moleſtiae ſubinde fuerint exantlandae, ex annalium noſtrorum fide diſertius velint exponere. Subibit forte hic ſtatim multorum adhuc ſuperſtitum memoriam tot tantarumque recordatio calamitatum, quae per bellum, ſeptem annos geſtum, fuerunt perpetiendae. Quam deformata eo tempore almae matris noſtra fuerit facies, quantas pertulerit acerbitates, non teſtes tantum et ſpectatores faciunt planum, ſed ex eo quoque colligi poteſt, quod vix vlla cogitari poteſt miſeria earum, quas belli rabies afferre plerumque ſolet, qua non et haec vrbs atque academia fuiſſent afflictae. Imo vero peculiaribus quibusdam ac propriis, et cum paucis modo locis communibus, perculſae et proſtratae ſunt procellis, quarum ruinae hodie adhuc, licet non omnes, ante oculos iacent. Exitiabilis illa obſidio etſi per paucos modo dies ciuium animos terroribus omnibus perculit, vaſtata tamen magna vrbis cum multis aedificiis publicis parte, non in domos tantum, ſed fortunas quoque multorum doctorum publicorum, et plurium ciuium triſtiſſima excitauit incendia, nec paucos ad extremas propemodum redegit incitas. Crebro quoque ingens militum aegrotorum, et vulneratorum agmen Vitebergam erat deportatum, quo omnia propemodum aedificia publica, ac vel academica, per longum ſaepe tempus erant referta ita, vt aeſtate inprimis ipſa loci aërisque ſalubritas male affecta et corrupta videretur. Cum igitur vix vlla in tota Germania reperiri poſſet academia, cui tot tantasque clades intulerit Martis communis furor: mirum non eſt, bonarum literarum cultores vel ipſis rumoribus ab vrbe noſtra auocatos et deterritos, aliis

in

in academiis perfugium atque otium quaesiuisse, Musarumque Vitebergensium templa tum per longum temporis tractum propemodum stetisse desolata. Nuperrime quoque parum afuit, quin iterum ea desererentur, vbi, contagioso purpurae febris morbo saeuiente, Musis, per se timidis ac facile trepidantibus, satius, tutiusque videbatur, Libitinam subterfugere, et sese ei subducere, quam ferociam eius contemnere. Attamen breui temporis interuallo interiecto, cum appareret, metu nimis repentino fractos esse animos, cumque grauiore anni tempore iam circumacto, defuncta morbo corpora salubriora esse inciperent: ab omnibus fere, perpaucis exceptis, denuo coepta sunt frequentari. Quamquam enim tum, per dies nonnullos carissimorum aliquot pignorum funera efferri, vidimus, multaeque et clarae domus fuerunt lugubres: haec tamen minime propria nobis fuit strages, sed cum innumerabilibus Saxoniae, imo Germaniae, oppidis, vicisque communis, nec tanta, tamque insignis, quantam inuidiosa fama rumoribus venditare, dispergere atque augere satagebat. Sed ominis causa auertamus animum ab hoc malorum nostrorum conspectu, quod dolorum renouatio ne tum quidem grata esse potest, vbi supersedere ea non potueris. Floruerunt etiam hoc seculo, propemodum exacto, in Academia nostra magni in primis et praeclari viri in omni fere doctrinae atque eruditionis campo, qui non tantum scriptis, sed meritis quoque aliis in rem litterariam et academiam huius nomen illustrarunt, suumque vindicarunt ab obliuione, dignissimi sane, quorum Manibus debitus hic haberetur honor. Sed si strictim modo horum laudes vellemus persequi, angusti fines libelli nimium quantum essent transgrediendi. Fuerunt alii non pauci, post mortem adhuc in iuuentutem nostram academicam, praesertim studiorum subsidiis destitutam, beneficia sua propagantes, qui pecuniae summam, saepe satis magnam, testamento legarent, cuius fructibus egenis

litte-

litterarum cultoribus ſuccurreretur, ingenia de felici ſtudiorum ſucceſſu ſollicita et demiſſa erigerentur, et ſic rei publicae docti viri exornarentur et ſeruarentur, ad egregium publicum augendum idonei, qui, absque his ſi fuiſſet beneficiis, medio forte in curſu deficere fuiſſent coacti. Vt igitur alii ad ſimilia facta egregia excitentur, beneficiorumque in omnem poſteritatem gloria poſt fata adhuc viuere ſtudeant, nomina eorum ſilentio premere non potuimus. Primum autem occupat locum Duumuirorum, generis nobilitate Illuſtrium, liberalitas, HERMANNI DE WOLFRAMSDORF et RVDOLPHI LEVINI DE MARSCHALL, quorum ille ſub ipſum Seculare Academiae ſecundum tredecim, hic anno praeteriti Seculi vigeſimo, decem millia Imperialium legauit teſtamento, ea vterque lege, vt horum fructibus certo ciuium academicorum numero victus gratuitus quotidie ſuppeditaretur. Quantam vim ad aliorum animos ad ſimilem munificentiam prouocandos habuerint haec exempla, teſtatum fecerunt THIELEMANNVS, SVEVVS, MICHAELIS CASSAI, POLDVS, et piae beneficaeque matronae, Comes DE KORNFAIL et WEINFELDEN, DONATIA, SIGISMVNDA, VATERA, quorum omnes propemodum mille, nonnulli duo Imperialium millia extremis tabulis ad ſuſtentandos lautis ſtipendiis litterarum cultores, egeſtate preſſos, donarunt, academiaeque curae tradi iuſſerunt.

Nec minus praeclare de Academiae felicitate promeriti ſunt, qui Bibliothecae publicae auxerunt opes, aut parte modo ſupellectilis ſuae librariae, aut hac integra ea lege donata, vt poſt obitum ſuum publicis inſeruiret vſibus, et ſic ingeniis ſubſidia atque adminicula in promtu ponerentur, quibus hucusque deſtituta erant ſcrinia publica. Mirifice igitur neceſſitatibus noſtris ampliſſimo legato conſuluit THEODORVS DASSOVIVS, linguarum orientalium in hac Academia publicus antea Profeſ-

ſor,

non amplius minis et deuotione sollicitata ciuium fides, et si quid postea grauius per imprudentiam, aut praecipiti consilio esset decretum, nemo, nisi maxime timidus, aut superstitiosus, poterat perterreri. Quis igitur satis mirari potest inuictam animi Viri illius immortalis virtutem, nullis minis debilitatam, qua in tantas temporum hominumque corruptelas ruit animosissime, inprimis, si perpenderis, omnes eo tempore per totam Europam Academias, ideoque et nostram summae sacri Ordinis potestati fuisse subiectas, eoque minus felicem rerum susceptarum euentum potuisse expectari, nisi summum Numen ipsum bonae causae patrocinium suscepisset. Cum primum autem purior Dei cultus, eiectis vanis ceremoniis, ad praecepta religionis christianae conditoris iterum erat compositus, et in pristinam formam restitutus: omnis quoque diuinae humanaeque scientiae campus statim longe aliam, et nouam in hac Academia induit faciem, quae etiam in aliis per Germaniam Academiis et scholis opinione celerius fuit expressa. Persuasum enim habuerunt pii veritatis vindices, sanctiores disciplinas philosophiae suppetiis carere non posse, et tum demum egregie cum iis actum iri, cum Theologi philosopharentur, et sobrii Philosophi theologiam excolerent. In primis igitur eorum curis et haec potissimum erat, vt ex omnibus bonarum litterarum, philosophiae et theologiae scholis, quas nugae subtilitatis vmbraticae hucusque obfuscauerant, Aristoteles cum Alberto, Thoma, Scoto et cetera turba simili pelleretur, atque arceretur. Res quoque tam feliciter et praeclare gesta est, vt purgata a sordibus, et quisquiliis philosophia, moderatus sanae rationis vsus nulli amplius fraudi esset, iura illi vel in ipsis sacris litteris interpretandis iudicandi, vindicarentur, et generi humano ipsi prouocatio ad eam, quantum aequum esset, et per temporum rationem tum fieri posset, restitueretur. Sicut igitur in Academia nostra primum certe initium factum

est,

eſt, barbariem philoſophorum, theologorumque e ſcholis exterminandi; ita quoque haec felicitas aliis etiam diſciplinis contigit, politioris praecipue humanitatis ſtudiis eo tempore in noſtra Muſarum ſede diligentiſſime atque ardentiſſimo ſtudio cultis, idque ipſo Luthero, ac praeſertim Melanthone, auctoribus. Hic enim habita de corrigendis adoleſcentiae ſtudiis publica oratione aperto Marte aggreſſus erat barbariem, Graecarum, Latinarumque litterarum expertem, ac copioſe declarauerat, quanta humanitatis litterae diuinis monumentis, accurate ac dilucide interpretandis, afferrent commoda. Gratulatur etiam iuuentuti largam occaſionem eas hac in Academia colendi, gauiſus quoque certis documentis, vbique conſpicuis, eas paſſim in Germania effloreſcere. Dici autem vix poteſt, quantam vim ad felicem horum ſtudiorum ſucceſſum, et celerrimam in remotiſſimas etiam regiones propagationem repurgatae doctrinae ſanctioris et reuocatarum litterarum habuerit ſchola Philippi. Tantus enim ad eum factus erat concurſus, vt auditorum eius numerus ſaepe duo millia et quingentos expleret, et ita vel Lutheri, duorum tantum millium ſchola, ſuperaretur, atque ipſe Bembus, in Purpuratis iſtius aetatis clariſſimi vir nominis, hoc audito, in admirationem raptus, nullam diceret Academiam, ne Pariſina quidem excepta, ſimile quid vmquam vidiſſe. Hoc igitur communis Germaniae Praeceptoris ſeminarium fertiliſſimum ingentem ſane tulit virorum doctorum omnis generis prouentum, toti ciuitati Chriſtianae, ac repurgatae doctrinae longius latiusque propagandae maxime ſalutarem, atque in omnibus muneribus, ſacris, ciuilibus, academicis, ſcholaſticis, imo aulicis etiam, noua ſemper ſemina, eaque fructuoſiſſima ſpargentem. Nequaquam tamen ſatis fuit viſum his veri, rectique in hac Academia doctoribus, opus ſuperſtitionis diſpellendae, et religionis religioni reddendae incepiſſe, ſed hoc quoque adhuc praeſtandum eſſe

puta-

putarunt, vt diuinis oraculis in linguam patriam translatis, horum cultoribus infimis pariter, ac summis veritas in oculos incurreret, sine fuco, natiuaque sui forma pateret, et libere de ea iudicandi omnibus concederetur copia. Quanta cum gloria hunc laborem, sociis aliquot intelligentibus ex Academiae doctoribus assumtis, perfecerint, res ipsa loquitur. Nulli enim facile ingenii scriptoris Germanici fetui, multo minus vlli vmquam versioni hoc contigit, vt per longissimum, ac plurium seculorum spatium classici libri, et normae, ad quam loquendi rationes essent exigendae, obtineret auctoritatem, licet antea, ne aliud quidem exstaret exemplum, ad quod viri illi, hac quoque opera immortaliter meriti, conformare se possent, imo quicquid Germanice hucusque esset scriptum, id omne asperae, horridae atque incultae dictionis vitiis laboraret.

Quamquam autem tot, ac tanta commoda, in hoc bonarum litterarum sacrario nata, vim suam non in nostrum tantum, his sacris emendatis addictorum, coetum diffuderunt, sed secus sentientium etiam parti ab hoc inde tempore clarior lux sensim sensimque affulsit; tamen nequaquam mihi animus est, multis exponendi, quantum lucri dissentientium causa e sacrorum mutatione per tot annorum tractum fecerit. Nam nullo fere tempore defuerunt in illa veri aequique amantes viri, qui hoc ipsi agnoscerent, et concederent, ac nostra potissimum aetas plures cognouit, qui omni neruorum contentione tenebras dispellerent, ita vt multo magis praeclara posteritati ex horum studiis et contentionibus, laude nostra dignissimis, facile promittere aequus arbiter possit.

Neque tamen haec bona vniuersa et singula per tam diuturnum tempus fuissent duratura, nec nouis incrementis aucta, nisi in ipsa Academiae

demiae noſtrae iuuentute, atque adultiori aetate caſtior religio ſemper tam ſtrenue fuiſſet defenſa, atque integra ſeruata, vt ad hunc vsque diem nullus eam hoſtium impetus poſſet violare. Semper enim hic magni et praeclari floruerunt viri, qui cauſam eius ſuſciperent, ſtudiumque eius tuendae non niſi cum vita ipſa deponerent. Dices fortaſſe, inanes ſaepe lites fuiſſe motas, certe modum in iis non eſſe ſeruatum, acerbiusque atque iracundius geſtas eſſe controuerſias. Sed multa condonanda ſunt ſeculi cuiusque rationibus, et credendi, defendendi et negandi alia, atque alia conſuetudini. Tantum etiam abeſt, vt caſtitati religionis detrimentum inde inferretur, vt noua etiam ac plura ita caperet incrementa, placitis quippe diuinis per eiusmodi diſſenſiones accuratius inueſtigatis, atque excuſſis, inueteratisque opinionibus praeconceptis exterminatis. Quis igitur non perſpicit, quantum debeat non modo Germania et Europa; ſed vniuerſa etiam cultorum Chriſti ſocietas Academiae noſtrae, ſi ſolum tantummodo laudem ſuperſtitionis exactae, religionis inſtauratae, litterarumque floris in terras noſtras ac finitimas reuocati, ipſi velis concedere? Multa ergo et ſane praeclara perfecit facinora; ſed multa quoque, eaque triſtiſſima pertulit fata. Haud dubie enim nulli alii Academiae hoc idem accidit, quod noſtrae, vt non ſemel tantum, ſed vel quater e ſede ſua, quae firma putabatur, deturbata, alium in locum migrare cogeretur. Inuadentibus nimirum ſaepius vrbem, agrumque Vitebergenſem ſiue vera peſte, ſiue aliis morbis contagioſiſſimis, idque breui illo ſpatio intra annos ſeculi decimi quinti ſextum et quinquageſimum ſecundum: Muſae noſtrae funeſtiſſimae ſtragis conſpectum ferre diutius non poterant, ipſoque Electore, Ioanne Friderico, auctore, tantorum malorum capeſſiuerunt fugam, primum Hertzbergam, deinde vel bis Ienam, atque vltimum Torgauiam. Eodem certe, niſi maiori in discrimine verſatae ſunt, orto in

Germania belli Smalcaldici incendio, ac tum praefertim, cum hoftilis exercitus vrbis noftrae muris iamiam admoueretur. Summo enim hoc discrimine perterriti plerique doctores ac iuuenes, litterarum ftudiofi, diffugerunt, ipfo Melanthone tranquilliores fedes longinquis in locis quaerente. Conclamatum igitur iam videbatur, nec vlli facile fpes relicta, fore, vt Academia, exanimatae prorfus fimilis, reuiuifceret. Quemadmodum autem Melanthon, periculis communibus amotis, tenero amore, quo eum hucusque femper amplexus fuerat, non depofito, imo eo folo ductus, approperauit, ita quoque MAVRITIVS, Elector, fedula cura alumnam fuam, fomentis paratis, refouit, nihilque omifit eorum, quibus infirmitati eius, vulneribusque inflictis mederi poffet. Pari modo per bellum, feptem annos geftum, faepius erat metuendum, ne fuper vrbis ipfius ruinis fepulta tandem iaceret academica ciuitas. Sed tum etiam rebus huius, tot, tantisque calamitatibus maxime afflictis, ac debilitatis, diuinus fuccurrit fauor, traditis FRIDERICO AVGVSTO noftro Saxoniae fafcibus, vt, ficut FRIDERICVS SAPIENS primus, ita ille alter effet Academiae conditor, et per Eum, abfterfo veteri fqualore, tot malis contracto, facies eius renata multo confpectior appareret. Hac igitur falutis noftrae cura Nutritor Liberaliffimus iam amabilem illam expreffit FRIDERICI SAPIENTIS imaginem, quemadmodum eam faepius, atque in aliis etiam rebus, ab eo fempiterna cum laude peractis, confpicere poteft attentus vtriusque fpectator, qui etiam facile et manifefto cognofcet, talem effe AVGVSTVM noftrum, qualem FRIDERICVM illum litterarum monumenta produnt. Vterque enim, dum per longum tempus fummae rerum Saxoniae praefuit, multa etiam, atque maxime infignia in patriam contulit bona, et licet haec interdum, aerumnis fracta, laboraret, tamen miferiis ciuium vehementius vterque commotus, ita mitigauit horum curas

et

et ſollicitudines, vt mox mitiora ſentirent fata. Saluberrima vtriusque conſilia pacem ſemper, ac publicam tranquillitatem vnice ſpectarunt, ſalua tamen auctoritate. Bella enim numquam ipſi ſerere voluerunt, ideoque ſemper inuiti, ac non niſi ſumma neceſſitate vrgente ea ſuſceperunt, numquam eo animo, vt profuſo ciuium ſanguine aliorum terras occuparent, ſinesque ſuos proferrent; ſed vt pax per ea firmior quaereretur, nec vnquam, extrema perſequenda eſſe, ſtatuerunt. Recuſauit FRIDERICVS SAPIENS ſummum Germaniae imperium; regnum Poloniae AVGVSTVS, ſolo vterque Patriae amore, his conſiliis prorſus inſigni atque eminenti, permotus. Inde quoque multo maior illuſtriorque e recuſata dignitate ad Eos rediit gloria, quam quae ex accepta erat ſperanda; inde etiam Saxonia nouorum bellorum fluctibus non potuit iactari, et nauis tranquillo et tuto in portu integra eſt ſeruata. Litterarum amorem FRIDERICI annalium fides ſumma cum laude commemorat; eundemque ſera adhuc poſteritas FRIDERICO AVGVSTO concedat, quippe qui eum, ſicut reliquas virtutes, cum ſanguine paterno iam hauſit, imo eo vel excellit, a teneris inde litteris ita innutritus, vt harum in nonnullis vel domicilium poneret. Hoc ex fonte deriuanda quoque eſt vtriusque PRINCIPIS vere patria et perpetua Academiae noſtrae ſtatusque eius florentis cura, praeſertim cum alter eam conderet, bonisque multis inſtrueret, alter poſt exitialis belli caſus inſtauraret, ornaret, opibusque augeret, quid? quod munificentia ſua efficeret, vt tota ſe hodie laetitiis publicis permittere poſſit.

Faxit Deus aeternus, ſummus ſalutis noſtrae auctor, qui tam egregiam, tamque beneficam mentem Muſarum noſtrarum STATORI et CONSERVATORI indidit, vt eandem hic nobis perpetuo ſeruet, ac diu adhuc rebus Saxoniae, noſtrisque ſuperſit, omnibus Ipſe bonis cumulatiſſimus,

tiſſimus, vt per eum vniuerſis etiam ciuibus proſperrima atque exoptatiſſima quaeque ſeris temporibus contingant. Creſcat AVGVSTA DOMVS innumerabilibus ſeculorum aetatibus, atque ex ea ſemper naſcantur PRINCIPES, qui venerabilem AVGVSTI noſtri imaginem, patriae, pacis, litterarum, huiusque Academiae amore expreſſam, reddant, vt nouo hoc ſeculo transacto, eam renatam poſteri venerabundi conſpiciant, poſterisque ſuis commendare poſſint. Floreat in omne aeuum haec alma ſtudiorum mater, ſempiterna ſuperſtitionis deuictae, veritatis vindicatae, ac libertatis reuocatae teſtis, continentibus incrementis magis ac magis aucta, ab omnibus temporum, hominumque iniuriis defenſa, et religionis caſtitate, litterarumque humanitate excellens, vt, barbarie exulante, nullo non tempore iuuenum doctiſſimorum numeroſas emittat colonias, per quas laus eius ſemper celebretur, decusque antiquum in omnem perduret perpetuitatem.

ORA-

ORATIO
FRIDERICI GVILIELMI DRESDII
THEOL. DOCT. EIVSDEMQVE PROF. P. O.

SOLEMNI

TREDECIM SVMMORVM IN THEOLOGIA HONORVM CANDIDATORVM

RENVNCIATIONI

A. D. XVIII OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCII.

PRAEMISSA.

SERENISSIMI ELECTORIS LEGATI PERILLVSTRES ATQVE EXCELLENTISSIMI,

CET.

Ad persequenda hesterni diei solemnia, celebrando tertio huius Litterarum sedis Seculari sacra, vix dici potest, quam sapienter constitutum sit iam a maioribus, vt communibus, quae heri fierent, votis pro salute Academiae, priuatae hodie succedere incipiant singulorum eiusdem Ordinum gratulationes. Quid enim ad confirmandum, quam iusta fuerint communia vota illa, plus conferre possit, propositis a singulorum nostrorum Ordinum interpretibus, non bonis tantummodo, quibus singuli praestent, verum etiam eorum profectibus ac laudibus, qui in singulo-

rum

rum ſtudiis excellerent, editisque publicis ſpeciminibus non minus, quam deportandis inde ſummis litterarum praemiis, planiſſimum facerent, quam recte gratulandum beneque precandum ſit huic Litterarum Vniuerſitati, cuius illi vel alumni olim, vel fautores et amici ſaltim eſſent. Ita ſane non ſermone ſolo, ſed ipſo facto, demonſtrari poteſt a laudatis noſtrorum Ordinum oratoribus, quid ſingula Litterarum ſtudia, quid Theologia, quid Iurisprudentia, quid Medicina, quid Philoſophia denique et Artes liberales, almae huic Litterarum matri debeant.

Mihi igitur quum paucis hodie dicendum ſit, quid noſtrae Academiae Theologia debeat; videtur hoc non breuius a me veriusque poni poſſe, quam in tali purioris doctrinae chriſtianae et inſtauratione, et conſeruatione, quae cum vindicandae chriſtianae libertati ab omni iniuſta humana vi, tum promouendis omnibus ingenuarum Litterarum ſtudiis, quam maxime eſſet proficua.

Quid enim erat, in quo omnis fere verſabatur Lutheri et Melanchthonis induſtria, quam vt perpurgarent doctrinam chriſtianam a naeuis quamplurimis, quibus eam non ſuperiorum temporum doctores tantummodo deprauauerant, ſed alii quoque, nouarum rerum ſtudioſi, in dies magis deprauare conabantur? Et quid erat, quo hoc aptius feliciusque praeſtare potuiſſent, quam quod in clara luce ponerent, pendere chriſtianos homines, per ipſam profeſſionem ſuam, in credendis non minus, quam in agendis, a ſola diuina ſacrarum litterarum auctoritate? Hac enim via non potuit modo doctrina chriſtiana ad priſcam ſuam puritatem reuocari; ſed intelligi quoque, in quo poſita ſit eius puritas, et quid prae ceteris ſpectandum ſit, ſi quis velit ipſam veri nominis chriſtianam religionem et ſeruare, et propagare inter homines. Ad

hoc

hoc vero quum opus eſſet exquiſitis ſacrarum litterarum artiumque liberalium non magis, quam Philoſophiae omnis, ipſiusque tam Iurisprudentiae, quam Medicinae ſtudiis; non potuit non haec ipſa purioris doctrinae chriſtianae inſtauratio habere quoque momenti plurimum ad promouenda illa longe vtiliſſima omnis verae eruditionis praeſidia. Quis enim neſcit, quanta vi, huius doctrinae nunc amore, nunc contemtu adeo et odio, omnis generis omniumque regionum eruditi ad excolenda et perficienda ſolidiora iſta ſtudia veluti incenſi fuerint?

Multo magis autem hoc effectum eſt ſingulari conſeruandae huius doctrinae feruore, a ſequentibus noſtrae Academiae theologis. Quo plures enim erant, et vehementiores, et acutiores, qui, poſt Lutheri et Melanchthonis aetatem, huic doctrinae aduerſarentur; eo largior dabatur copia germanis illorum diſcipulis vindicandae eiusdem a quibuscunque horum iniuſtis ipſius tam obtrectationibus, quam deprauationibus. Ita vero iidem et excitabantur ſimul, et cogebantur veluti, ad amplificanda et perficienda, vt ipſius Theologiae, ita reliquarum quoque ſcientiarum, arctiſſimis illi vinculis nexarum, ſtudia. Qui enim potuiſſent hi tot tam infenſis ſubtilibusque aduerſariis, ad tuendam doctrinam illam, pares eſſe, niſi ipſi ſua contra eos arma et auxiſſent, et acuiſſent, eoque ipſo his non minus, quam amicis ſuis, ſimilem veluti inſpiraſſent animum? Et docent ſane ſingulorum fere non ſpiſſa tantummodo, ſed ampliſſimae quoque eruditionis plena, opera theologica, quam inſigni omnes laborauerint diligentia, vt nihil praetermitterent, quod vllo pacto crederent, ex vniuerſo litterarum campo, ad firmandam et commendandam doctrinam chriſtianam puriorem, transferri poſſe.

Nec recentiſſimis temporibus remittebant noſtri Theologi a priſco illo tuendae laudatae doctrinae feruore plurimum. Curabant enim omnes, vt praecipua ſaltim eius capita, et in his quoque id, quod de diuina ſacrarum litterarum auctoritate exponeret, ſarta tectaque ſeruarentur et defenderentur, vt ab aliorum, ita ab eorum potiſſimum verſutiis, qui data veluti opera hoc agerent, vt, inter ipſos chriſtianos, veri nominis chriſtianam religionem plane tollerent, mereque naturalem ipſumque Atheiſmum in illius locum ſufficerent. Hancque eorum curam non effectu caruiſſe, cum aliunde ſatis conſtat, tum hodiernus dies luculenter docet. Produco enim hodie in medium plures Viros ampliſſimos maximeque reuerendos, quos, quum nullus dubitaret Ordo noſter Theologicus, quin omnes praecipuis omnibus purioris doctrinae chriſtianae capitibus fauerent, ad ornanda hodierna ſolemnia, prouocauit ipſe, vt ſummos in Theologia honores ab ipſo peterent, hacque opportunitate illius de ipſis conceptam ſpem palam confirmarent. Hoc igitur quum abunde praeſtitiſſent omnes, ſuumque veri nominis religionis chriſtianae amorem nobis comprobaſſent plurimum, non profeſſione ſola, ſed exactiſſima quoque ampliſſimorum munerum adminiſtratione, editisque exquiſitae eruditionis theologicae ſpeciminibus; merito conſtituit Theologorum Ordo, dignos iudicare eos petitis honoribus, publicamque eorum renunciationem, pro ordine inter nos obtinente, mihi committere.

(Iam petita et impetrata a Procancellario Ordinis Theologici, eodemque Rectore Academiae, MICHAELE WEBERO, venia, tredecim Doctores Theologiae renunciati, et in praeſentibus inaugurandis ritus ſolennes adhibiti atque explicati ſunt. Eorum nomina ſupra (p. XII. ſq.) edita ſunt. Tum vero haec peroratio ſecuta eſt.)

Per-

Peractis nunc his ſolennibus, non poſſum non VOBIS, AVDITORES OMNVM ORDINVM SPECTATISSIMI HONORATISSIMIQVE, tam meo meique Ordinis, quam nouorum Doctorum noſtrorum, nomine, decentiſſimas agere habereque gratias, pro ſingulari comitate ac indulgentia, qua, VESTRO haec Solennia ſplendore, ornare et condecorare voluiſtis. Faueat DEVS O. M. VOBIS VESTRISQVE SPLENDIDISSIMIS FAMILIIS, faueat porro NOSTAE ACADEMIAE, faueat HVIC VRBI TOTIQVE PATRIAE, faueat CLEMENTISSIMO PATRIAE PATRI, CELSISSIMAEQVE EIVS DOMVI, faueat denique VNIVERSAE REIPVBLICAE CHRISTIANAE ET LITTERARIAE, faxitque, vt vtraque, in IPSIVS, Ipſiusque FILII venerationem, in dies magis magisque creſcat, vigeat, floreat!

ORATIO
ERNESTI GOTTFRIDI CHRISTIANI KLÜGELII

IVR. VTR. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

HABITA

IN

RENVNCIATIONE XII. IVRIS VTRIVSQVE DOCTORVM

A. D. XIX. OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCII.

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE LEGATI PERILLVSTRES ET SPLENDIDISSIMI

CET.

Cum mihi hodie dicendum ſit in tanta hominum multitudine nomine atque dignitate ſplendidiſſimorum, in omni ſcientiarum genere eruditiſſimorum, et vita, doctrina, ſcriptis, meritis celebratiſſimorum, neſcio, quam quaeram excuſationem, quando argumentum quidem orationis in hac frequentia et celebritate, cum tantorum virorum auditione, tum dierum feſtorum, quos celebramus, ſanctitate, tum quoque et munere, quo me condecoratum video, et occaſione, quae, vt verba ad Vos faciam, inuitat, minus dignum reperiatur.

Quoniam

Quoniam tamen illa ipſa occaſio haec eſt, vt in vtroque iure Doctores creentur, atque ii quidem teſtes felicitatis Academiae noſtrae, quae ex ſummo Dei T. O. M. beneficio natalem celebrauit trecenteſimum primum, Doctorum iuris autem officium non tantum in docendo, nec in ſolo litigantibus auxilio ferendo exerceatur; ſed in cauendo etiam, vt vel potiſſimum ſpectet ad conſilia danda in quibuscunque negotiis, quae vel ad iura et obligationes hominum referuntur, vel cum his arctiſſimo ſaltim iunguntur vinculo: pro veſtra, AVDITORES SPECTATISSIMI, ORNATISSIMI, HONORATISSIMI, pro veſtra, quam vehementer et omni, qua par eſt, obſeruantia deprecor, permittite beneuolentia, vt nonnulla de conſilio ICtorum in legibus ferendis adhibendo exponam. Nolite tamen vereri, AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, ne veſtra adeo ſim abuſurus patientia, vt omnem eius rei materiam excutiam, de qua omnino vberius exquiſitiusque dicendum eſſet, atque id de me poſci, nedum expectari poſſit. Quamobrem, quantum temporis anguſtia, cuius nunc habenda eſt ratio, non ſuadet ſolum, ſed etiam poſtulat, hos mihi fines orationis praeſcribendos putaui, vt tantum in exemplo, eoque vno et ſolo, illuſtri tamen et digno imitatione, Alexandri ſcilicet Seueri Imperatoris Romani, acquieſcam. Extat, qui de vita huius Principis ſcripſit Aelius Lampridius, non quidem is primus, ipſo enim ad laudatores Alexandri, Aurelium Philippum, Marium Maximum, Encolpium, Septimium, Gargilium, Martialem, Acholium, aliquoties prouocat; praeterea centum fere annos poſt Alexandri obitum hiſtoriam contexuit ſuam: idem tamen, ſi diſceſſeris a locis iniuria ſcribarum vel temporum corruptis, vt multi de eo iudicant, quo minus elegantiae ſermonis, eo magis veritatis ſtudioſus narrationum fide; omnino dignus, et eo dignior, quo longius eius ab Alexandri diſtat aetate, quando laudes quidem eorum, qui

ipſo eius, qui laudatur, aeuo viuunt, neceſſario ſine ſuſpicione vix eſſe poſſunt. Fuit vero Alexander Princeps, qui, quamuis maculis non careret, ex varia tamen, quae eius erat, virtute meruit commendationem. Cui cum nomen quidem Seueri non videtur reſpondere, quo ipſe ante imperatoriam dignitatem non vtebatur, (milites enim, qui nihilo-ſecius eum impenſe amabant, id dederunt, eam ob cauſam, quod ſtrenue militarem exerceret diſciplinam:) tantum tamen abeſt, vt vituperium ex ea re in eum reiiceretur, vt maxime ſeueritate hac ac diſciplina, quae tantum ab iniurioſis in alios, furibus, rebellibus caeterisque flagitioſis metuenda erat, bonis e contrario, annona, praediis, dignitatibus et, quibuscunque poterat, praemiis et beneficiis auctis, id ſuum firmaret imperium, et ſenatui, et populo, et legionibus belli domique gratiſſimum, ordinemque ab Heliogabalo anteceſſore perturbatum, quid? quod penitus euerſum, reſtituit, atque id non in exercitu ſolum effecit, ſed etiam in ſenatu, magiſtratibus, omnibusque ordinibus, quos, remotis inutilibus hominibus, et, qui indecenter conſtituti erant, dignitate orbatis, purgauit, legibusque, moribus, exemplo, vt respublica priſtino honori redderetur, curauit. Praecipuae autem virtutes, quae eum ornabant, modeſtia erant et continentia. Nam, gulae minime deditus a victu delicato, a veſtibus pretioſis, habitum parum ornatum amans, et ab aliis, quae alias regibus ad ſuam viuentibus voluntatem placere ſolent, ſollicite abſtinebat. Quanta autem fuerit eius modeſtia, Lampridius ille ex longa oratione, quam in ſenatu habuit, et quam is ſcriptor ex actis vrbis deſcripſit, docet. Nempe, cum iam ſtatim, atque faſces imperii ſuſceperat, Auguſti nomen, pontificatum maximum, tribunitiam poteſtatem et proconſulare imperium nactus eſſet, quae omnia ſenatus vno die, nouo quidem exemplo, ſed vrgente metu aliorum imperio inhiantium, in eum contulit, neque nomen Antonini, quod ſenatus

tus ei decreuerat, neque Magni, tanquam illud, quod Alexandro, Graecorum regi, fuerat, quo itidem ſenatus poſt multas acclamationes eum voluit condecorare, dari ſibi paſſus eſt, partim de eo honore, quo iam erat potitus, magnas dicens gratias, partim obiiciens ampliſſimi Ordinis rogationibus et acclamationibus, quod neque magni aliquid egiſſet, neque ſe Antonini virtutes fore adſequuturum crederet. Sed narrantur alia quoque exempla, ex quibus quam alienus eſſet a ſuperbia, luculenter apparet. Nam cum amicis, vt ait Lampridius, tam familiariter vixit, vt communis ei ſaepe eſſet conſeſſus, iret etiam ad eorum conuiuia, aliquos autem haberet quotidianos, etiam non vocatos. Vetuit ſe adorari, moderationis potius tantae fuit, vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, vt omnibus ſe blandum affabilemque praeberet, vt amicos non ſolum primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores aegrotantes viſeret, vt ſibi ab omnibus libere, quae ſentiebant, dici cuperet, et cum diceretur, audiret, et, cum audiſſet, emendaret et corrigeret. Inprimis omnes amicos ſimul admiſit, cum omnibus pariter locutus. Si quem ab officio dimiſit, quem tamen diſcedentem muneratus eſt ita, vt, pro ſuo loco, poſſet honeſte viuere, ſemper addidit: gratias tibi agit reſpublica, non ſe, ſed rempublicam nominans. Non audiebat oratores aut poetas, ſibi panegyricos dicentes, quod ſtultum exiſtimabat. Et haec quidem omnia, quem ſaepe laudaui, Lampridius. Verum tamen, quantum etiam Alexander Magnus appellari recuſauit, vt illum Graecum imitaretur, quin, ſi fieri potuiſſet, ſuperaret, omnem dedit operam. Et hoc ipſum ei, vt aliquid dicam de reprehenſionibus, in quas exiſtimauerunt veteres eum incurriſſe, vitio verterunt, quod magnus Alexander videri voluerit, et, cum in Syria natus eſſet, quaſi hoc ignominioſum haberi poſſet, Syrus eſſe et dici noluerit. Caetera, quae in eo reprehendebantur, ſunt haec, quod ſuſpicioſiſſimus fuerit, vectigalia

lia multa inuenerit, aurum opesque amarit, curas priuatas egerit, et nimis in milites fuerit ſeuerus, quae nimia ſeueritas ei tandem triſti fuit exitio mediis in caſtris. Hic erat ille Alexander, qui tam flebili extinctus morte, viuus tam laudabilis, tam amabilis, tam humanus atque officioſus fuerat, vt tantum a malis formidari poſſet, diligeretur a bono quolibet.

Ille itaque celebris Imperator, cum de rebus deliberandum eſſet grauibus, et inter has de ferendis inprimis legibus, nihil de ſuo faciebat arbitrio; ſed conſultabat doctos viros eosque iuris peritos. Ac dubium quidem non eſt, quin poſſit Princeps pro voluntate et imperio ſuo ita ſtatuere, vt ne vllius quidem amici, quicunque is ſit, nedum iurisperitorum ſequatur conſilium. Idque ſaepius ab Imperatoribus, qui in regendo orbe Romano cum anteceſſerunt Seuerum, tun ſecuti ſunt, factum eſt, et, quo imperitiores erant, quo minus iuris imbuti praeceptis, eo procliuiores ad decreta legesque dandas, quas ſine vllius auxilio ferrent. Hinc eſt, vt neminem offendere debeat, quod ipſi ICti Romanorum, cum conſtitutiones imperatorias inter iuris ponerent fontes, ſcripſerint: etiam, quod Principi placuit, legis habet vigorem, neque addiderint, quod fere neceſſarium videri poterat, re ſtudioſe ad praecepta diſciplinae perpenſa. Nempe, cum eiusmodi cauſae disquiſitionem plerique Principes neceſſariam non habuerint, conſiliaque a iuris peritis danda ſpreuerint, ea ad conſtitutionum naturam referri non poterat. Quin Caracalla, narrante Suetonio, ſe effecturum eſſe, ne ICti aliquid reſpondere poſſint, praeter id, quod ipſe vellet, profeſſus, et toti ICtorum ordini hoc effato exitium minatus erat. Ex quo peruerſo legum ferendarum modo cum non potuiſſet non publicae rei peſſima inferri conditio, permouit id aliquando ex ſucceſſoribus vnum, Macrinum nimirum, in ſcientia iuris non indoctum, vt, omnia veterum

reſcripta

rescripta tollere, caperet consilium, ne amplius leges viderentur imperitorum hominum voluntates. Quam laudabile quidem id fuit propositum, tamen propterea, si recte iudico, quod Macrinus, vti Capitolinus de eo refert, in omnium erat odio, ex quo fere necessario euenit, vt etiam, quae bene constituisset, displicerent, exitu caruit, et purgatae ab his stolonibus iurisprudentiae laus Theodosio mansit relicta. Tali vero imperii summaeque auctoritatis intemperantia, quae reipublicae admodum noxia et periculosa esse potest, Alexander Seuerus non fuit captus. Nam, etsi multas sanxit leges, nullam tamen vnquam fecit constitutionem, nisi adhibitis viginti iuris consultis, atque iis quidem doctissimis ac sapientibus viris. Est apud Lampridium locus, in quo is auctor nomina horum sapientum virorum conseruasse videtur posteritati. Ita enim legimus apud eum: vt scias, qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus, Domitius Vlpianus, Ael. Gordianus, Iulius Paulus, Claudius Renatus, Pomponius, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venulejus, Triphoninus, Mecianus, Celsus, Proculus, Modestinus; hi omnes iuris Professores, et omnes Alexandri imperatoris familiares et socii, Catilius Seuerus, Aelius Serenianus, Quintilius Marcellus. En, profecto viginti atque vnum homines doctos, quos nominat Lampridius. Praeterea, si omittas tres vltimos, quod attinet ad reliquos, prouocauit ad scriptores antiquiores, ex quorum libris sua maximam partem sumsit, Acholium et Marium Maximum. Incredibile pene est, quantum is locus viros eruditos vexauerit. Nam in eo mera glossemata longamque interpretationem viderunt Salmasius, Casaubonus, Gruterus, qui inter criticos latinos immortalia sibi acquisiuerunt nomina. Et de Vlpiano quidem atque Paulo res certa est atque confecta, quod Alexandri amici, atque in eius consilio fuerint. Etenim idem Lampridius hoc alio quoque loco testatur, Alexandrum

in magno honore Vlpianum et Paulum habuiſſe. Quin Vlpianum, quem pro tutore habuit, ita amauit, vt proprio periculo eum aduerſus militum iram obiecta ſua veſte tueretur, eum, cum inter ſuos conuiuaretur, adhiberet ſermonum colloquiorumque cauſa, quibus ſe recreari dicebat, nec vnquam aliquem ſolum viderit, niſi Vlpianum, praefectum ſuum, conſiliarium, magiſtrum ſcrinii, et perpetuum exaſſeſſorem, et hunc quidem, ſi de cauſa iuſtitiae ſingulari eſſet reſcribendum. Poteſt etiam probari ex aliis litterarum monumentis, hos duumuiros Paulum et Vlpianum coaeuos fuiſſe Alexandri. E contrario de reliquis, quos Lampridius nominat, Pomponio, Alfeno, et qui ſunt alii, res omnino maxime dubia eſt. Quos enim ſub his nominibus cognouimus, ii ad vnum fere omnes longe Alexandro ſunt antiquiores, quod ex variis argumentis quam accuratiſſime poteſt demonſtrari. Itaque docti viri locum hunc Lampridii eſſe corruptiſſimum, et aliena manu cuiusdam indocti, qui cum Pauli et Vlpiani nomina legiſſet, voluerit vel memoriae, vel alia ex cauſa addere aliorum ICtorum, qui celebres fuere, nomina, ea Pomponii, Alfeni, reliquorum fuiſſe aſſuta, iure quodam ſuo ſuſpicati ſunt. Obiici quidem poteſt, habuiſſe Alexandrum in conſilio viros ita nominatos, non eos tamen, ex quorum libris aliqua in Digeſta relata ſunt fragmenta, ſed ſuo ſeculo viuentes, cum inauditum non ſit, hominem aliquo tempore eodem nomine praeditum viuere, quod erat alius vel centum annorum antiquioris. Tamen e contrario noua hanc perimit exceptionem ſuſpicio. Nam aduerſatur illi disputandi rationi cum nominum, quae interiecta ab alia videntur manu, multitudo, tum, quod praecipuum eſt, etiam hoc, quod ea nomina non in omnibus legantur codicibus. Verum, ne hanc litem meam videar facere, eam relinquo. Satis eſt, ex reliquis Lampridii id certum eſſe, iurisconſultorum opera et conſilio ad leges ferendas Alexandrum vſum fuiſſe. Neque tamen exiſti-

existimare nos licet, ac si id ab eo factum esset ex imperitia rerumque inscitia. Nam puer in litteris bene eruditus fuerat, et iuueniamauerat humaniores litteras; ita tamen, vt Graecas multum antetulerit latinis. Poetarum inprimis lectione ita innutritum eius fuit ingenium, vt ipse vitas bonorum principum versiculis enarraret. Ambitiosus enim in ea re et, vt plura edisceret, sollicitus fuit, 'quoniam', vti iterum scripsit Lampridius, reformidabat vehementer homines litteratos, ne quid de se asperum scriberent. Habebat imo, cum prandebat solus, in mensa librum, quem legebat. Lectitabat autem poetas, aliosque, Imperator tamen praecipue de republica libros Platonis et Ciceronis, huius quoque de officiis. Deinde historias etiam, maxime Alexandri, Graeci illius, vitam. Quapropter eruditos viros impense amauit, doctores variarum scientiarum Romae instituit, eosque stipendiis recreauit et beneficiis. Manifestum itaque est, non alicui eius inscitiae esse tribuendum, quod leges sine Iurisconsultorum consilio condere noluerit. Sed quod omne, quod impium et iniustum esset, in magno haberet odio. Id, quod equidem omnis legalis prudentiae fundamentum ponere soleo, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, semper in ore habuit. Ita voluit condi iura, vt ad hanc formam accommodarentur. Hinc adeo oderat fures, magistratus, qui ius a se nundinari, non indignum existimauerant, hos, qui aliorum inhiabant bonis, qui falsa scripserant, notarios, et qui similes erant improbi. Quod vt maiore fieret prudentia, adhibuit in consilium Iurisconsultos, non doctos solum, sed etiam sapientes, per quorum sapientiam merito effectum iri opinari poterat, vt leges aeque ferrentur. Sane habuit, narrante eo, quem toties laudaui, auctore, amicos sanctos, venerabiles, continentes et religiosos, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non

circumuentores sui, non irrisores, non, qui illum quasi fatuum circumducerent. Quis non crederet, talibus viris in consilium coeuntibus, rempublicam bonis rectum iri legibus? Quis dubitaret, his leges scribentibus, quin iustitia debilitari et labefactari nequeat? Quis putaret, tanta praeditos virtute vnquam commissuros fore, vt, quod aequum est, in contemtionem adducatur? Verum tamen Alexander, cum errare potuissent etiam sapientes, prouidus denuo fuit. Saepe enim annuas dabat leges, vt, si, experientia duce, aliquid corrigendum censeret cum suis amicis iurisperitis, id, vtprimum poterat, emendaretur, sublato, quod abhorrebat ab aequitate. At in eo maximam vim atque auctoritatem conciliauit suis legibus, quod ipse eas diligenter obseruauit, ne videretur, aequum aliis habere, quod sibi iniquum putaret. Ita quoque saepe audiuit forenses oratores causas recitantes, etiam quas apud praefectum vrbis egerant: vel, quod horum quoque consilia de aequo iure, quasi aliud agendo, discere vellet; vel, vt quisque maxime vires ingenii pariter atque sanctitatis et religionis ostenderet, vt eum deinceps in eorum, a quibus consilia petebat, reciperet consortium, vel tandem, vt de cauillationibus oratorum, quae aliquando vix non esse magna poterant, se informaret, et, quibus possint impediri, remedia quaereret. Non autem acquieuit Alexander in eo, vt tantum in causis, quae dissidia spectabant priuatorum, consilia de legibus scribendis a Iurisperitis sumeret; sed adhibuit eos etiam tunc, cum de ordine negotiorum publico in vniuersum legem putaret scribendam. Narrat is saepius laudatus Lampridius, voluisse Alexandrum omnibus officiis genus vestium proprium dare, omnibusque dignitatibus, vt a vestitu distinguerentur, et omnibus seruis, vt in populo possent dignosci, ne quis seditiosus esset, nec serui ingenuis miscerentur. Id autem in sacro consistorio recitans, destitit a consilio proposito, cum id Vlpiano et Paulo displiceret, addito argu-

argumento ſatis graui et probabili, plurimum exinde fore rixarum, ſi qui eſſent, qui ad iniurias faciendas eſſent faciliores, cum, ſi ſententiae duumuirorum illorum mentem recte intelligo, nonnulli ex his, qui in dignitate conſtituti erant, ex veſtitu diſtincto ſuperbia elatiores homines inferiorum ordinum contemtioni, ſeruos contumeliis, quibus ingenue vexari a liberis hominibus poſſent, magis putarent expoſitos. Neque fiſcales cauſas a conſilio ICtorum, ſi leges de his dandae eſſent, excluſit. Memoriae tradidit idem Lampridius, eum multas leges de iure populi et fiſci ſanxiſſe, et ſtatim in hoc loco addit, cuius ſupra memini, ſemper viginti iurisperitos eosque ſapientes conſuluiſſe. Quid? quod ne militares quidem cauſas, vti legibus indigerent, plane ſine iurisperitis in conſulendo eſſe voluit. Nam etſi milites in deliberationibus de negotiis caſtrenſibus, eosque ſenes et benemeritos adhiberet: non tamen eos alios, quam litteratos, maxime quidem, quod etiam in eiusmodi negotiis procul dubio erat ſaluberrimum, qui hiſtoriam nouerant, ſed tamen alios quoque litteratos. Ex his igitur omnibus patet, quantum Alexander Iurisconſultorum auctoritati et conſilio tribuerit, qui non auſus eſt, negotia ſiue publica ſiue priuata tractare, niſi his prius rogatis. Similiter Iul. Capitolinus de Antonino Philoſopho Imperatore narrat: Ius magis vetus reſtituit, quam nouum fecit. Vſus autem eſt Scaevola praecipue iurisperito. Alii eadem de Auguſto referunt.

Quamuis autem ea antiquitatis ſint monumenta honoris in iurisperitos in legislatione collati; non tamen deſunt exempla, quod inſequentibus etiam temporibus eadem iurisconſultorum fuerit aeſtimatio. Quis eſt noſtrum, qui neſciat, AVGVSTVM noſtrum Electorem, vere pium ac ſapientem, cum leges, quas Conſtitutiones nos, exteri Ordinationem prouincialem Saxoniae appellant, condere vellet, ſcriptas eas antea communicaſſe cum ICtis Lipſienſibus et noſtratibus, vnde ortae

ſunt

ſunt ea, quas ſub nomine conſultationum conſtitutionum Saxonicarum nouimus, conſilia. Plura addi poſſent exempla. Sed in memoriam re- uoco, quod in principio ſermonis promiſi, breuiſſime me dicturum eſſe, et ferme eſt, vt verear, ne longior fuerit oratio, atque quam lubenter audiretis.

(Nunc facultate, quam Orator petierat a GOTTLIEB WERNSDORFIO, Ordinis ſui Procancellario, conceſſa creandorum I. V. Doctorum, quorum nomina in Narratione ſuperiori (p. XVI. ſeq.) leguntur, eos, qui quidem aderant, formulis ac caerimoniis ſuetis inaugurauit, et cum reliquis pro- clamauit. Denique in his congratulationibus et votis deſiit.)

Saluete nunc, creati a me DOCTORES, iuris vtriusque, atque ite- rum ſaluete! Quemadmodum ego primus ſum, quod quidem mihi ma- ximo duco honori, qui VOBIS de hoc virtutis, diligentiae et eruditionis praemio et publice quidem gratulor, atque, vt haec acquiſita dignitas VO- BIS atque reipublicae feliciſſime cedat, ea, qua fieri poteſt, pietate opto: ita, Vos in conſeſſu PERILLVSTRIVM LEGATORVM PRINCIPIS SERENIS- SIMI, et tot aliorum Virorum Illuſtrium ac doctiſſimorum, quin eo- rum Virorum ſplendidiſſimorum, qui ex aliis Academiis augendae fe- ſtiuae noſtrae laetitiae cauſa ad nos venerunt, quo nomine Eis magnas agimus gratias, maiores habemus, Vos, inquam, in loco hoc ſacro, atque ſub initium quarti huius Academiae ſeculi, gradum dignitatemque Do- ctoris Iur. Vtr. nactos eſſe, nunquam non ſine Summi Numinis reuerentia, pia recordatione proſecuturos, fauore autem perpetuo Ordinem, Acade- miam, quin totam Saxoniam noſtram amplexuros, vitamque omnem ad dignitatis nouiter acquiſitae modum compoſituros eſſe, perſuaſum mihi habeo, et praeterea, vt hoc Veſtri eſſe officii, Veſtrae putetis virtutis, perdiligenter rogo.

ORA-

ORATIO
GEORGII RVDOLPHI BOEHMERI

CONSIL. ELECT. AVL. PHILOS. ET MEDIC. DOCT. AC
THERAPIAE PROF. PVBL. ORD.

HABITA

IN RENVNCIATIONE IX. MEDICINAE DOCTORVM

A. D. XX OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCII.

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE, NVTRITORIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI, LEGATI PERILLVSTRES, CET.

Cum festiuitates Academiae Seculares et Jubilaea vno et principali illo die Lucae, qui natalis erat nostrae Scholae, pro dignitate celebrari non potuerint, alii etiam extraordinarii dies, vt assumerentur, necessarium fuit. Cum igitur hesterno die Theologica et Iuridica Facultas partes suas habuerint: reliquum est, vt, de sententia Academici Senatus, suam etiam habeat Medicorum Collegium.

Antequam vero ad solemnitates ipsas, a nobis instituendas, progrediar, more consueto praemittam orationem, in qua recentiorum Medicorum in Academiam nostram merita renouare atque recolere constitui.

ſtitui. Vt de hoc argumento me verba facientem benigne audiatis, debita animi reuerentia et humanitate peto. Dabo etiam operam, vt breuitate Orationis audiendi faſtidium Vobis leniatur.

Nonſolum propter Virorum inſignem in arte ſalutari doctrinam ac eruditionem ſummam, Academiae noſtrae famam illuſtrem eſſe factam, conſtat; verum exſtiterunt quoque inter Medicos alii, qui, quae excellens eſt animi generoſi virtus, atque homine cum primis digna, liberalitate ac donis gratuitis florentes, Academiae noſtrae res multum augerent eiusque felicitatem multiplicarent.

In illis vero, qui artis praecipue ſalutaris cultorum ſtudiis fauerunt, primum nominari debet Iohannes Henricvs nobilis de Hevcher, Conſiliarius Aulicus et Archiater Regius, Botanices et Anatomiae Profeſſor celeberrimus, quippe qui de Horto Botanico et Muſeo Anatomico egregie promeruit. Certe Iohannes Thiele, Anatomiae et Botanices Profeſſor, Rector Academiae conſtitutus, hortum admodum neglectum et deuaſtatum, non ſine taedio propriisque impenſis melius inſtruere et reparare ſtuduit; attamen poſtea iterum neglectus, atque tandem ab Hevchero ab interitu ſuo vindicatus fuit. Non ſolum enim propriis ſumtibus illum de nouo fere exſtruxit, nouisque ſemper et praecipue exoticis plantis locupletauit; verum etiam annuam penſionem centum Ioachimicorum, qua munificentiſſime ornatus fuerat, in futuros horti vſus ſponte ceſſit, atque ſic tanta huius Viri liberalitate factum, vt dicta pecuniae ſumma etiam hucusque in horti commodum e praefectura Scholae Prouincialis Portenſis ſoluta fuerit. Praeterea cum Ille Dresdam eſſet euocatus, ſingulari adhuc erga Academiam noſtram amore effecit, vt ex Cimeliarchio regio curioſorum praeparatorum anatomicorum

rum apparatus huc transferretur, qui etiam non folummodo bene conferuatus, fed et indies egregie auctus fuit. Itaque HEVCHERVM et horti botanici reftauratorem et Mufei primum inftitutorem merito aeftimare debemus.

HEVCHERI Vicarius, eoque mortuo, Profeffor Botanices et Anatomiae factus fuit ABRAHAMVS VATERVS, Vir ab Academia noftra multis modis celebrandus. Mufei enim cura ipfi poftea demandata, et ab Eodem nouis haec rerum naturalium collectio optimis fpeciminibus perpetuo aucta fuit; quapropter factum eft, vt Infpectio Mufei Eidem perpetuo relicta fuerit; neque minus rem botanicam, quae ad Eius quoque munus pertinebat, mirifice auxit, editis eum in finem pluribus fcriptis, praefertim duplici catalogo plantarum, inprimis exoticarum, quae in horto Academico conferuabantur, atque hoc fuo ftudio ad mortem vsque hortum botanicum perpetuo auxit et ornauit. Praeterea non folummodo duplici hac ratione fcriptisque admodum eruditis Academiae noftrae gloriam fulciuit; fed etiam Teftamentum cum Vxore, e gente Marpergeriana, Matrona optima, maxime pia et munifica, conftituit reciprocum, quod etiam illa, vidua facta, fancte conferuauit, et in diuerfa Academiae commoda plus quam decem millia Imperialium legauit, de quibus nunc tantummodo commemorare volo, partim ftipendia duo, alterum fcilicet Marpergerianum, Philofophicae Facultatis Adiuncto, alterum Vaterianum Medicinae cultori exfoluendum legauit; partim duas eiusdem artis ftudiofis menfas in Conuictorio gratuitas conftituit.

Denique inter Medicinae Profeffores, qui ad incrementum gloriamque Academiae multum contribuerunt, filentio minime praeterire poffum, LANGGVTHIVM, cui certe egregia plane liberalitas Generofiffimi

 Domini

Domini DE PONICKAU, Sereniſſimo Electori Saxoniae a Conſiliis belli ſanctioribus, erga Academiam ſolummodo in acceptis eſt referenda. Quemadmodum enim Ille Illuſtris Vir et LANGGVTHIVS per plures admodum annos in Afrana Schola ſtudiis incubuerunt, atque idem domicilium inhabitarunt, factum eſt, vt non ſolum ſingularem plane amicitiam inter ſe colerent, eamque etiam poſtea ſtudioſe conſeruarent; ſed etiam LANGGVTHIVS, ex ſingulari erga Academiam amore, omnem adhibuit operam, ſuaſorque fuit indefeſſus, vt etiam Illuſtris Vir munificentiam atque liberalitatem ſuam praeſtaret Academiae, id quod etiam feliciſſime ceſſit, quippe qui omnem librorum et manuſcriptorum apparatum nobis donauit et transmiſit. Praeterea etiam in Teſtamento tria Imperialium millia Academiae legauit, vt ex vſuris partim Bibliothecarius quotannis quinquaginta Thaleros accipiat, partim Eius Bibliotheca incrementum capiat. Quas igitur gratias, quas laudes pro tanta munificentia tanto Patrono tribuamus? immo etiam Eius Amico LANGGVTHIO?

Bibliotheca noſtra porro incrementum duplex accepit ex liberalitate Profeſſorum NÜRNBERGERI atque TITII. Ille de hac litterarum vniuerſitate egregie promeritus, eiusque vxor, Matrona nobiliſſima, priuatim inter ſe conuenerunt, vt poſt eius mortem illa librorum ſuppellex, qua Academia adhuc careret, eidem inſereretur; quod etiam factum, et hac ratione ſexcentis quadraginta et ſex Voluminibus aucta fuit Bibliotheca, quorum etiam non pauca pretioſa ſunt; ſufficiat nominaſſe Herbarium Blackwellianum, Albini Tabulas ſceleti, et Halleri Phyſiologiam.

SALOMO CONSTANTINVS TITIVS multa edidit exquiſitae doctrinae monimenta, Ipſique cura horti botanici et Muſei anatomici ac naturae

rae

rae curioſorum demandata fuit, haecque munera praeclare adminiſtrauit, hortumque et Muſeum nouis acceſſionibus auxit. Celeberrimus hic Vir, proh dolor! nimis cito febre ſcarlatina nobis ereptus, praeſertim de Academia noſtra eo nomine longe meritiſſimus, quod poſt eius mortem pro diſerto adhuc viuentis iuſſu liceret nobis praecipuos lectiſſimae eius Bibliothecae theſauros, Volumina circiter quatuor millia, ſcriniis noſtris inſerere; ſicque immortalis Viri memoriam magno cum fructu ſeruare inter nos quam diutiſſime. Praeterea etiam praeparata anatomica copioſa, quinque ciſtis incluſa, artificioſa ac bene conſeruata in communem vſum Facultati noſtrae donauit, atque pro hoc quoque eius liberalitatis teſtimonio Ipſi eiusque Vxori Nobiliſſimae, quod certo modo dubium, illibatum tamen ſuſtinuit, gratias agimus maximas.

Inter ciues noſtros duo adhuc nominandi ſunt. Silentio enim nequaquam praetereundus eſt Doctor Matthias Temlin, apud nos Medicinae Practicus feliciſſimus, qui, vt Ipſe erat in Hungaria natus, ita popularibus ſuis ex quatuor centum ſiclis annuam penſionem perſoluendam per teſtamentum conſtituit.

Denique non ſine gratitudinis conteſtatione commemorandus eſt nuper proh dolor febre putrida mortuus Philoſophiae et Medicinae Doctor, Iohannes Benjamin Thomä, qui certe ab omni illo tempore, quo Senatoris et Conſulis officium geſſit, omne ſtudium atque contentionem adhibuit, vt partim prodeſſet Ciuibus, partim etiam ipſam ciuitatem eiusque extra portam ambitum ſplendidiorem redderet; maiorem vero poſt mortem aeſtimationem promeruit. Namque, praeter alia legata, in teſtamenti ſui tabulis duo Thalerorum millia pro exſtruendo Noſodochio, et mille pro ambulacro, a Coenobio vsque ad fontem Lutheri ex-

tendendo, et vtrinque fructiferis aliisque arboribus includendo destinauit; praeterea, quod ad nos praecipue spectat, in commodum et emolumentum studiosorum nouem stipendia constituit, atque in hunc finem quatuor millia cum dimidio Thalerorum assignauit, quorum reditus post mortem Nobilissimae Vxoris sint exsoluendi. Atque sic tum studia litterarum egregie promouit, tum nomen suum sempiternae hominum memoriae commendauit.

Inter nostrates quoque Medicos commemorandus est antea laudati Langgvthii Filivs, Professor Medicinae extraordinarius et Physices ordinarius, qui magnis admodum sumtibus insignem rerum naturalium thesaurum in splendorem Academiae collegit, atque in commodum et vsum studiosorum systematice disposuit, eumque indies locupletiorem reddere, omnes quasi neruos intendit.

Exteri quoque nonnulli Medici de *Academia* nostra egregie sunt promeriti. Laudare debemus liberalitatem Experientissimi Doctoris Samvelis Kretzschmari, Medici Aulici et Physici Prouincialis Dresdensis, qui et Bibliothecam nostram noningentis libris, ad historiam naturalem maxime spectantibus, inter quos splendidissima opera inprimis Botanica erant, auxit, et Museum egregia suppellectile Insectorum, et praecipue fossilium, exornauit, suisque sumtibus scrinium, ex plus quam triginta thecis compositum procurauit, fossilia Ipse tunc temporis apud nos praesens, systematice ordinauit, et pro commodiore harum conseruatione et multiplicatione ducentos Imperiales legauit.

Denique non sine gratitudinis contestatione commemorandum et celebrandum est Illustris et Experientissimi Doctoris, Iohannis Gvilielmi

VAN

van der Jahn, Consiliarii Aulici et Serenissimi Electoris Archiatri, erga nos liberalis munificentiae monumentum, dum Ordini nostro eo consilio cessit quadringentos Thaleros, vt magis proueheretur studium anatomicum, quorum etiam vsuris sensim sensimque auctis comparauimus in vsum Theatri Anatomici et studii Chirurgici apparatum instrumentorum egregium, eumque in hunc vsque diem magis magisque locupletauimus.

At immorari diutius huic, quam hucusque persecutus sum, Orationis materiae, eadem huius diei solennitas, quae me ad dicendum inuitauit, vetat.

(Hic Boehmervs auctoritatem Procancellarii Ordinis sui, Ioannis Gothofredi Leonhardi, Philos. et Medicinae Doctoris, Consiliarii Aulici et Archiatri Electoralis primarii, Patholog. et Chirurg. Prof. Publ. Ord. Collegii Sanitatis Dresdensis Praesidis, cet. ad creandos rite Medicinae Doctores nouem, quorum nomina supra (p. XVIII. sq.) posuimus, sibi tribui petiit; qua deinde concessa, eos summis insignibus huius doctrinae, vsus etiam erga praesentes iis ritibus, quos antiquitati acceptos ferimus, ornauit. Omnem autem orationem hoc voto clausit.)

Atque sic, dum ex hac Cathedra mihi discedendum, nihil magis in voto habeo, Avditores, quam vt patientia, qua me loquentem audiuistis, laetum nec fallax sit perennis Vestri in me et Doctores a me recens creatos doctissimos fauoris et beneuolentiae augurium.

Viuat, vigeat, floreat Academia in omne aeuum!

ORATIVNCVLA
IOANNIS GOTHOFREDI LEONHARDI
CONSIL. AVL. ET ARCHIATRI ELECTOR. PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD.

ORDINIS MEDICI PROCANCELLARII

QVA

GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO D.
CREANDORVM MEDICINAE DOCTORVM
POTESTATEM FECIT.

Eſt profecto in pia dierum, Academiae natalium memoriae dicatarum, concelebratione ſumme neceſſarium, vt Deo, qui eandem iam per tria ſecula benigne tuitus eſt, nuperoque maxime ſeculo ex periculis innumeris eripuit, in ſummis calamitatibus conſeruauit, ſub PRINCIPIBVS optimis religionis puritate et doctrinarum quarumuis bonarum praeſtantia florere iuſſit; inprimis vero, ſub FRIDERICI noſtri AVGVSTI, PATRIS PATRIAE INDVLGENTISSIMI, auſpiciis, cum patria vniuerſa, in tanta regionum aliarum deuaſtatione, et tot Academiarum aliarum euerſione ſaluam, ſartam, tectam praeſtitit, gratias agamus maximas; vtque Summo Numini pro PRINCIPIS OPTIMI GENTISque totius AVGVSTAE felicitate longaeua, pro Patriae cariſſimae ſalute diuturna, et pro Academiae huius, quae religionis, doctrinae

et

et virtutis ſeminarium fertiliſſimum etiam in ſera vsque ſecula eſto! conſeruatione integerrima vota afferamus ardentiſſima.

Eſt inſuper grati animi officium iucundiſſimum, memoriam renouare virorum de ſchola noſtra egregie meritorum, et beneficia recenſere, quae ex eorum liberalitate, humanitate et pietate eidem contigerunt; cuius quidem officii partes Tv, Vir Illvstris, iam ita executus es, vt, ipſe medicus, medicos potiſſimum enumerares hunc in modum beneficos munificosque; prorſus vero, pro modeſtia Tua, reticeres Tua in Academiam per integrum ſemiſeculum collata beneficia Tuaque merita innumera, quibus digne laudandis iam ob temporis anguſtias operam dare, proh dolor! non licet; quibus vero pie commemorandis ſeri quondam nepotes inhaerebunt. Quin etiam ſpes laetiſſima certiſſimaque concipi alique debet, fore, vt etiam quarto ſeculo caepto futuri ſint, qui almae noſtrae litterarum matri faueant, eamque beneficiis ornent augeantque, quandoquidem his ipſis diebus feſtis Patroni ſumme venerandi liberalitate nunquam ſatis praedicanda commodis noſtris eximie iam rurſus proſpectum ſit.

At enimuero maxime quoque opus eſt, vt beneuolentiae humanitatisque memores, patriae commoda ciuiumque et vniuerſi generis humani ſalutem curae nobis eſſe cordique publico teſtati documento, Viris, doctrinae medicae copiis ſatis auctis, artisque in publicum emolumentum prudenter, ſolerter et feliciter faciendae ſpem haud inanem per ſpecimina eruditionis egregia exhibita ſuggerentibus honores dignitatesque largiamur, quibus vt eruditionis virtutisque praemio et commendatione auctoritatem adipiſcantur atque fidem publicam.

Hinc

Hinc ex iustissimo Tuo desiderio ego, I. G. L. Tibi, Decane et Promotor Celeberrime, Facultatem trado, Candidatos, qui summis in arte salutari honoribus iam ex Ordinis nostri decreto ornandi sunt, Doctores creandi publiceque renunciandi, id insuper Deum vnice precatus, vt a Te, Professore et Doctore semiseculari, quem diu etiamnum nobis Deus conseruet! cum Licentiato semiseculari ipsis festis secularibus faustissimo omine creati ad Tuum exemplum artem exerceant, id est, quam felicissime.

ORA-

ORATIO
IOANNIS MATTHIAE SCHROECKHII
HISTORIAR. PROF. PVBL. ORD.

HABITA IN AEDE ACADEMICA
A. D. XX. OCTOBRIS A. CIↃIↃCCCII
CVM
DOCTORES PHILOSOPHIAE ET LL. AA. MAGISTROS POETAS ITEM LAVREATOS
RENVNCIARET.

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE LEGATI PERILLVSTRES ET SPLENDIDISSIMI
CET.

Si pro amplitudine et dignitate earum rerum, de quibus hodie ex hoc loco dicendum eſt, parem ingenii et eloquentiae vim ac vbertatem adferre mihi licuiſſet: haberetis profecto non indignam his ſolennibus, his honoribus ac gaudiis Academiae noſtrae, inprimisque Ordinis mei, de optimorum ſtudiorum in hoc Athenaeo curſu narrationem, quae non modo ad recordationem gratiſſima eſſet; ſed etiam ad poſteritatis inſtitutionem vtiliſſima. Repetenda enim eſt hodierna die, ſi vmquam alias, omnis memoria anteacti temporis, ex quo primum bonarum litterarum

in hac vrbe domicilium conſtitutum eſt; maximeque ab ea aetate, qua primum his terris, huic Academiae, et praecipue Ordini meo inſigne illud Diui PHILIPPI lumen illuxit, qui princeps barbariem ingeniorum, velut paullo ante Diuus LVTHERVS, corruptelas doctrinae chriſtianae, in his oris feliciter ſuſtulit. Recolenda nobis ſunt et diligentius exploranda initia et praeſidia elegantioris doctrinae ab eo introductae; diſpiciendum, quo ſucceſſu ab eo tradita et commendata fuerit; quos in eadem palaeſtra, quae Ordini noſtro velut concredita eſt, imitatores et adiutores habuerit praeſtantiores; quae eamdem doctrinam fata apud nos manſerint, magno auctore et anteſignano nobis erepto; vtrum forte, et quibus illa de cauſſis, longe poſthac minoribus, quam pro tanta exſpectatione, progreſſibus effloruerit; quando, et per quos, ſiquidem reſtituta deinceps atque inſtaurata eſt, hoc ei beneficium contigerit; denique, vt per longas trium ſeculorum ambages, quae acta ſint ab Ordine noſtro litterarum cauſſa, perſequar, quaerendum cum veteri poeta Chriſtiano: Q u i d n o s v t i l e t a n t i ſ p a t i o t e m p o r i s e g i m u s? Sed de his omnibus accurate, grauiter et ornate dicendi munus non oratori exactae prope aetatis, ſed vigentibus annis, et ore atque perſpicacia eminenti, demandandum fuiſſe videtur. Ita ſollicitam de impoſito onere, etſi honorifico, mentem recreat tamen et ſolatur mirifice eximia humanitas et beneuolentia Veſtra, qua non modo abſolutam numeris omnibus orationem, ſed etiam voluntatem ſatisfaciendi votis Veſtris amplecti ſoletis. Accedit, quod non noua et inaudita Vobis me traditurum eſſe, animo iamdudum praecepiſtis; ſed domeſticas fere litterarum vices, quae vt in rem praeſentem quaſi aduocentur, artis ſingularis opem vix deſiderant. Neque vero diſerti hominis copias et robur requiretis in me propterea, quod ambitioſius me noſtra laudaturum eſſe ſperetis; cum nec in propria cauſſa et de fundo haereditario magnificum teſtimonium perhibenti

ſides

ſides haberi poſſit; et eadem ratio ab hiſtorici muneris, quod gero, germana ſimplicitate vehementer abhorreat. Denique cum me ſummis temporum anguſtiis concludi ſatis ſciatis, veniam ſine dubio dabitis et benignas adhibebitis aures etiam curſim tantum et carptim potius perſtringenti et attingenti quam enarranti ſtudiorum liberalium et melioris doctrinae in Ordine noſtro per haec tria Secula fata et viciſſitudines.

Iam quis adeo ignarus ſit rerum noſtrarum, vt neſciat, ſub primordia huius Academiae, doctores eius, qui litteras humanas et ſeculares, quae dicebantur, tradebant, viros illos quidem bonos, neque doctrinae prorſus rudes, aliquanto tamen longius a veris rectisque philoſophiae et bonarum litterarum ſtudiis abfuiſſe; et, pro communi illius aetatis ſorte, non modo vni tantum philoſophorum ſcholae, eique ſatis barbarae, addictiſſimos fuiſſe, illique nihil admodum praeter peritiam, ſubtiliter de omnibus diſſerendi ac disputandi, et ſpinoſarum quaeſtionum texendarum artificium debuiſſe; ſed etiam in reliquis diſciplinis et artibus opiniones duntaxat et narrationes clariſſimorum Virorum per plurima ſecula ſtabilitas propagare didiciſſe; aliena ab iis omni vera ingeniorum libertate. Mediam hanc quaſi in caliginem immiſſus Melanchthon, cum graecarum litterarum publice docendarum prouinciam accepiſſet, primus hanc lucem et liberalem rationem intulit, vt in ſcriptoribus veteribus graecis et romanis non ſolum orationis puritatem et elegantiam obſeruare; ſed vel maxime ex iis ſapere, hoc eſt ingenii, vitae morumque cultum eorum lectione adiuuari doceret. Itaque etiam primus oratoriae et poeticae facultatis Romanae egregiae vſum ad omnium doctrinarum praecepta illuſtranda et commendanda accommodauit. Idem primus generis humani hiſtoriam, deterſis tot ſeculorum

commentis, et veris rerum gestarum caussis enoluendis, vitae et prudentiae magistram denuo esse iussit, edito illius celebrato apud omnes breuiario. Quid de philosophia dicam, illo sapientiae horrore, vt appellat Camerarivs, iis tum nugis, ipsam religionem foedantibus, inquinata, vt primario apud nos sacrorum restaurandorum auctori omnis omnino abiicienda videretur. Hic vero Melanchthonis in iudicando sagacitas et moderatio quam maxime eminuit, qui vanas quidem Scholasticorum quaestiones et disceptationes prorsus repudiandas esse censeret; ceterum accuratioris methodi caussa in Aristotelis dialectica plane acquiesceret; neque hunc solum, sed etiam Platonem, aliosque praestantissimos philosophandi auctores veteris et recentioris aeui ita sequeretur, vt non nihil propriae cuiusque indagandi solertiae relinqueret; princeps adeo philosophiae vere eclecticae viam sterneret; summam autem philosophandi hanc esse ostenderet, vt doctrinis et artibus omnibus, vitae ipsi et negotiis grauissimis lux quaedam perpetua affulgeat. Omnem autem hanc eruditionis ingeniosam varietatem quam dextre et feliciter litteris theologicis exornandis et stabiliendis adhibuerit, si docere instituerem, et dicendorum copia obruerer, et a proposito longius aberrarem.

Neque vero defuerunt Ordini nostro, qui magnum illum elegantiarum et solidioris doctrinae arbitrum, etsi non aequis passibus, comitarentur. Ne iam de Io. Rhagio Aesticampiano dicam, cuius ingenium ad optimorum quorumque veterum imitationem efformatum, breui tempore per fati iniuriam enituit; non de Io. Boeschenstainio, qui primus post Revchlinvm hebraicarum litterarum scientiam in Germania fundauit, et quo ipso harum litterarum magistro vsus erat Melanchthon; non de Matthaeo Avrogallo, et Io. Forstero, vestigia eius nequaquam infausto sidere prementibus; non denique de Iac. Mi-

LICHIO,

lichio, et Georg. Ioach. Rhetico, quorum alter mathematicas disciplinas in hac Academia primus florere iussit, alter, cum et ipse earum disciplinarum scientiam cum laude profiteretur; memorabili tamen ad omnem posteritatem exemplo, munere publico se abdicauit, vt praeclaris magni Copernici inuentis Astronomicis praesens auditor frui potuerit: meministis probe, Auditores, foecundissimae scholae Melanchthonis, qua parte intimis nexibus coniunctior cum Ordine nostro regnauit. Nam eo adhuc superstite, cunctarum artium et disciplinarum, quae ad humanitatem ac laetissimam ingenii faciem spectant, exemplaria a Vito Vinsemio, Ioanne Stigelio, Matthia Flacio, Petro Vincentio, Martino Chemnitio, Davide Chytraeo, Casparo Pevcero, aliis, ita tradita et propagata esse constat, vt de eorum perennitate nullus dubitandi locus adfuisse videretur.

Sed postquam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus Philippi Melanchthonis in his terris extincta fuerunt, suntque exuviae eius humeris Collegarum Ordinis nostri huic, quod cernitis, sepulcro illatae: saluberrimae illae studiorum rationes, quas ei debuit haec Academia, non quidem prorsus euanuere; sed tamen pleraeque sensim adeo obscuratae sunt, vt vel tardiores et pauciores progressus facerent, vel omnino nullos, vel denique ad pristinas fere, e quibus illas expediuerat, tenebras redirent; succedentibus iis suspicionibus, opinionum dissidiis et rixis sectarum, quae liberalis illius rationis impatientissimae essent. His fatis toto Seculo Academico secundo maxime apud nos iactata est philosophia: iis certe, qui eam publice docebant, etiam necessitate quadam coactis, vt ad pristinos ingeniorum carceres redirent. Nam cum diuinorum, aut, si mauultis, theologicorum dogmatum ea aetate interpretibus persuasissimum esset, sine philosophiae

 Aristo-

Ariſtotelico-Scholaſticae praeſidiis dogmata illa neque ſatis accurate definiri et explicari, neque ab aduerſariorum acutiſſimorum inſultibus defendi poſſe: philoſophis quoque, pro more temporum, haec caſtra ſequenda fuerunt; fruſtra nonnumquam exſurgente, qui ſe medium inter Peripateticos, Scholaſticos et Ramiſtas praebere vellet. Feliciores aliquanto veteris ſcholae reliquiae in Graecorum Romanorumque litteris et elegantia tuendis, LAVRENTIVS RHODOMANNVS, ERASMVS SCHMIDIVS, FRIDERICVS TAVBMANNVS, et AVGVSTVS BVCHNERVS, verſati ſunt. Neque nihil hiſtoricis ſtudiis doctrina et labores AEGIDII STRAVCHII, inprimisque CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII, qui primus denuo fontium accuratam indagationem cum exercitatione prudentiae coniunxit, debuere. Cum autem alios in litteris Orientis excolendis ſola propemodum memoriae vis et diligentia adiuuarent: ANDREAE SENNERTO etiam inueniendi ſagacitas obtigit; eodemque tempore BALTHASAREM STOLBERGIVM egregia graecarum litterarum ſcientia et ad vſus varios transferendi peritia, nobilitauit.

Quae vero et quam fauſta ineunte Seculo ſuperiori rerum noſtrarum, imo litterarum in vniuerſum per Germaniam, qua ſacris Proteſtantium patuit, conuerſio nata ſit, neminem Veſtrum latere arbitror, Auditores. Nam e mediis, iisque acerrimis de religionis et litterarum ſtatu concertationibus prodiit tandem illa aurea ſentiendi, inueſtigandi docendique libertas, cuius praeſtantiam ne abuſus quidem, qui ſecuti eam ſunt, innumeri tollere potuerunt. Quamquam autem is, qui primus apud nos liberius philoſophandi periculum facere aggreſſus eſt, SAMVEL CHRISTIANVS HOLLMANNVS, — idem ille, cuius inſtitutioni equidem in Academia Göttingenſi, annis viginti poſt, eiusdem libertatis amorem debui — per genium aetatis illius exile operae pretium tulit;

tamen

tamen secundis magis postea curis, et fauentibus Musis, eiusdem rei magnitudo ab aliis perfecta est. Eodem tempore laetius illud IOAN. GVILIELMI BERGERI ingenium eminere coepit, per quem non modo graecarum romanarumque litterarum honores vel restituti vel egregie aucti sunt; sed etiam artium humaniorum omnium mutua inter se consociatio primum illustrata est. Multum etiam nouae lucis historiae IO. GVIL. JANVS, multum mathematicis disciplinis IO. FRID. WEIDLERVS et IO. MATTHIAS HASIVS attulere; alii alias liberalis doctrinae partes cultiores, nisi fallor, et ornatiores reddidere.

Verum sentio propemodum, me a simplici narrandi instituto fere nescium et inuitum ad laudandi munus deflectere; et cum iam ad eos doctores Ordinis nostri delapsa sit haec oratio, quorum aetatem viuendo attigimus, tanto magis verecundiae historicae silendo parcendum videtur. Non est nostri iudicii, constituere et decernere, quid actum sit a nobis in litterarum commoda; aliorum haec sit et posteritatis sententia. Felices ter et amplius, si ea nos haud paullo meliorem quam accepimus doctrinae nobis attributae conditionem ad posteros transmisisse censuerit! Ea vero est nostrum omnium, qui huic Ordini adscripti sumus, constans et perpetua voluntas, secularibus hodie votis, quae pro salute PRINCIPIS OPTIMI et INDVLGENTISSIMI, pro incolumitate Academiae et Vrbis huius nobis carissimae nuncupamus, inter ipsa denique solennia distribuendorum viris ingenio et doctrina praestantibus summorum in Philosophia et LL. AA. honorum, publice repetenda. Sit haec votorum summa, noui Seculi Academici initiis sacrata, vt nihil indignum vmquam bonarum litterarum sublimitate committamus; verissima earum instituta adeo grauiter et seuere persequamur, vt, etiamsi

publici

publici ſaporis non ſint, nihil tamen nos auertere a viae illius regiae firmitate patiamur; non actores in ſcena imitemur, qui a plauſu multitudinis, etiam parum honeſtis artibus facile parando, pendeant; philoſophiam inprimis, quae ſui iuris ſit, non vnius ſcholae decretis obſequatur, neque vero imperioſam et ferociori dominatu omne diſciplinarum genus prementem; non cathedrariam tantum, ſed quae nobiliſſimas vitae partes regere doceat; minimeque omnium philoſophiam ſine litteris colamus, hoc eſt, quae neglecta humanitate et cultu antiquitatis, ceteroque rectiſſimorum praeſidiorum apparatu, aranearum veluti telas ex ſe ipſa vnice texere didicerit; atque, vt paucis omnia complectamur, ita ſeruiamus vniuerſae liberalis doctrinae exiſtimationi et vſibus, vt, qui reuolutis annis centum, in hac ipſa aede, quod DEVS O. M. ratum habeat, de conſeruata Academia rurſus laetabuntur, eos maiorum ſuorum nequaquam poenitere poſſit.

(Hoc loco CONRADVS GOTTLOB ANTON, LL. Orientt. Prof. Publ. Ord. ſingulari Oratione commendauit Pro - Decano Viros doctos, qui honores philoſophicos et laureae poeticae petierant. Tum autem ab hoc publice illi renunciati ſunt eo numero et ordine, quem in Narratione noſtra (p. XXI. ſq.) commemorauimus. Neque neglexit ritus ſolennes, quos maiorum inſtituta imperabant. Tandem ſacris ſecularibus in Aede Academica celebrandis hac precum votorumque formula finem impoſuit.)

Iam Tibi, aeterne DEVS, Pater generis humani, auctor et ſtator omnis veri bonique, omnis germanae ſapientiae, quas grates Te dignas dicere, habere, agere poſſumus, cui hoc tantum conſer-

uatae

natae Academiae beneficium, huius publici gaudii magnitudinem, debemus, quam vt porro, quantum in nobis eſt, hoc toto animo agamus, quo haec Academia diuinis auſpiciis condita, ſeruata, aucta et ornata, in omne aeuum, litterarum et religionis ſchola veriſſima dici poſſit.

Tu donum illud Tuum vere diuinum et exoptatiſſimum, SERENISSIMVM PRINCIPEM ac Dominum noſtrum, FRIDERICVM AVGVSTVM, SAXONIAE ELECTOREM, cuius in litteras amor numquam ſatis praedicandus, cuius in nos munificentia et benignitas incomparabilis hoc tempore tot clariſſimis ſignis eluxit, nobis, patriae vniuerſae, litteris denique, et exemplum praeſtantiſſimum, in quod poſteritas intueatur, cum VNIVERSA DOMO EXCELSA, porro et in ſeros annos clementiſſime ſeruabis, omnibusque bonis cumulabis.

Vobis autem, Viri Perillvstres, qui vicem TANTI PRINCIPIS cum ſumma dignitate, minimeque obſcuris in nos beneuolentiae eximiae documentis obiiſtis, quorum adeo alteri liberalitatis in Academiam exemplum acceptum referimus, cuius memoriam nulla vmquam obliuio deletura eſt, iis gratiarum referendarum nexibus obſtrictos nos profitemur, vt, cum verbis eas ſatis exprimere non valeamus, Vobis hac ſignificatione mentis gratiſſimae, quantum in nobis eſt, ſatisfaciendum ſit.

Inſigni etiam beneficio a Vobis nos condecoratos laetamur et gratiſſimi fatemur, qui Inclutarum Academiarum nomine his ſollennibus noſtris adhuc intereſſe non dedignati eſtis, Viri Gravissimi, Ornatissimi, Fautores nobis perpetuo colendi! Patuit profecto

S re

re ipſa, quam amabili vinculo conſociatae ſint inter ſe Academiae omnes, quanta communis in litteras ſtudii concordia copulatae. Sit haec noſtrum omnium felicitas perpetua, et meliori doctinae exoptatiſſima!

Denique omnibus, qui noſtri honoris cauſſa huic laetitiae publicae praeſentiam benignam largiti ſunt, non modo gratiſſimos nos confitemur; ſed eosdem etiam votis veriſſimis pro ſalute eorum proſequimur.

Ita vero his ſollennibus Academiae fauſtum fortunatumque finem, quae DEI O. M. eſt benignitas, imponimus; finem autem haec Academia nonniſi cum orbis vniuerſi ruina ſortiatur!

COM-

COMMENDATIO
EORVM
QVI HONORES PHILOSOPHIAE ET LAVREAE POETICAE
PETIERANT
HABITA
A
CONRADO GOTTLOB ANTONIO
LL. ORIENTT. PROF. PVBL. ORD.

PRODECANE MAXIME SPECTABILIS!

Etſi laetitia, qua ſollennia Academiae noſtrae ſecularia animum meum perfuderunt, mirum in modum augetur eo, quod in hoc conſeſſu ſplendidiſſimo Tecum, id eſt, cum Viro Celeberrimo et Collega Optimo, colloquendi copia praeter omnem opinionem mihi eſt facta; tamen mihi, eorum, qui hodie a me Tibi ſunt commendandi, numerum, cum centum duobus viris doctis, ante hos centum annos hoc ipſo die dignitate noſtra ornatis, componenti, temperare nequeo, quin vel inuitus obſeruem id, quod nemini obſcurum eſt, honores academicos non tanti, quanti a maioribus facti ſint, ab aequalibus noſtris aeſtimari. Neque hoc quisquam mirabitur, qui cogitauerit, generationis noſtrae mollitiem a laboribus, ab iis, qui ad eiusmodi ornamenta adſpirant, ſubeundis, eiusdemque, ex nimio in aliis rebus luxu ortam, par-

ſimoniam ab impendenda incerto lucro pecunia omnium maxime abhorrere; iis autem, qui nominum honorificorum vanitati plus dent, quam meritorum veritati, honores aulicos, ad quos nemini honeſto et locupleti obſeptus eſt aditus, magis arridere, propterea quod Principum arbitrium pleriſque, a ſe ornatis, multo honeſtiorem, quam magiſtris aut doctoribus, in republica locum aſſignare conſueuit. Nec mirum, ſi ne veri quidem honoris cupidi publica Academiarum teſtimonia magnopere optent, cum videant, iis a multis, qui iure ſumma in ciuitate et eccleſia munera in digniſſimum quemque conferendi, gaudent, minus tribui, quam aliorum commendationibus. Ac profecto, vel is, qui neminem, niſi de cuius eruditione plane conſtet, muneri alicui praeficere decreuit, ſi ipſe peregrinus ſit in litteris, facile ſe induci patitur, vt, quem viderit, libros quosdam, a mulierculis, elegantiae ſenſum prodentibus, laudatos, lingua vernacula conſcripſiſſe, longe praeferat iis, qui, non, niſi disputationes academicas, et propter latinae orationis elegantiam, et propter cogitandi ſubtilitatem a viris vere eruditis probatat, compoſuerint. Cum igitur tot et tantae cauſſae conſpirent ad honorum academicorum contemtum in dies augendum, nonne verendum eſt, ne ſeculo, quod Academia noſtra aggreditur, praeterlapſo, plane defuturi ſint, qui eos ambiant? Hinc non abs re erit, paucis disquirere, an non ſeculi ingenio ſaltem magiſterii honores ſint condonandi?

Cum exigua pecuniae ſumma ex magiſtrorum creatione ad nos rediens, ab ELECTORE SERENISSIMO facile nobis compenſari poſſet, certe Ordo noſter non difficulter a ſe impetraturus ſit, vt noſtros honores abrogari cupiat, modo hoc fieri poſſit, ſalua verae eruditionis propagatione. Iam vero qui vere doctus, ſiue theologus, ſiue iureconſultus, ſiue medicus, ſiue philoſophus eſſe velit atque haberi, eum quis neget, debere

debere plane imbutum eſſe humanitatis diſciplina; quae non tantum docet latine ſcribere ita, vt ab omnibus omnium terrarum et aetatum viris eruditis libri eius libenter legantur et facile intelligantur; ſed etiam omnes verae ſapientiae diuinae et humanae, hiſtoriae priſcae, eloquentiae, et poëſeos fontes interpretando aperit ita, vt omnium Ordinum eruditi, qui ex iis hauſerint, reliquos longe poſt ſe relinquant. Quo maius autem, ſi non ingenium, certe ſtudium requiritur ab eo, qui vel mediocrem laudem in hoc litterarum genere conſequi cupit, eo acriori ad illud excitandum hac aetate opus eſt ſtimulo, cum vel ex iis ſcholis, quae olim litterarum humaniorum nutrices iure meritoque appellabantur, pauci, qui cum iis familiaritatem contraxerint, prodire ſoleant. Iam equidem non is ſum, qui, ſicuti pharmacopolae circumforanei medicamentis ſuis, ita noſtris honoribus vim fere magicam tribuam, aut ſtatuam, quisquis iis ornatus fuerit, eum in iis, quae antea neglexerat, ſtatim erudiri. Id vero contendo, qui ab Ordine noſtro bonarum artium magiſter nominatus fuerit, eum ipſo hoc nomine a quolibet obuio moneri, iis ita ſtudere, vt earum docendarum facultatem nanciſcatur, neque hanc admonitionem in animo eius, qui liberaliori ingenio et veri honoris amore praeditus fuerit, parui fore momenti. Hinc etiam maiores noſtri pro ſingulari ſua ſapientia non ſtatim cum magiſterii dignitate docendi poteſtatem iunxerunt; ſed iis magiſtris demum hanc veniam dederunt, qui eam duabus disputationibus ſcribendis et rite defendendis ſibi vindicaſſent. Eas autem non, niſi ab eo, qui, noſtris honoribus monitus, bonis artibus indefeſſam operam nauauerit, probabiliter ſcribi et cum laude defendi poſſe, vel inde apparet, quod ad vtrumque praeſtandum praeter doctrinae copiam requiritur haud vulgaris linguae latinae peritia.

Sed veram eruditionem postulare etiam non exiguam philosophiae notitiam, id nulla, qua litterae floruerint, aetate, nedum nostra, quae eius studio videtur feruere, in dubitationem vocari poterit. Quotus enim quisque audeat negare, eius ope cuiuscunque doctrinae altioris, quae dicitur, cultorem ingenium, ad videndum et iudicandum verum, et linguam, ad omnia iusto ordine exponenda, acuere, eundemque rerum praesidiis, reliquae cuique disciplinae fructuosissimis, locupletari. Quod vel tum largiebantur sapientissimi quique, cum eam doctrinae sublimioris ancillam superbia quorundam appellabat. Quidni nunc idem concedant omnes, cum eam omnium disciplinarum reginam aetas nostra nuncupare non dubitet? An vero illi, qui philosophiae diuinam praestantiam crepant, cuncti eius adyta intima intrarunt? Minime gentium. Horum enim non paucos vix primum eius limen attigisse, elucet ex eo, quod multi non, nisi psittaci more formulas dicendi, a philosophis recentioribus introductas, repetere didicerunt. Verendum igitur est, ne plane refrigescat verae philosophiae studium, si ne illi quidem, qui doctores philosophiae, quam bonarum artium magistri nominari malunt, hoc nomine, vt vltra huius disciplinae elementa sapiant, admoneri se patiantur. Vtcunque sit, certe illi, qui legitimis speciminibus ius in hac Academia docendi sibi vindicare ausi fuerint, non dubitabunt, se, in defendendis disputationibus a disputatorum exercitatorum, quales esse viros, Ordini nostro adscriptos, nemo it inficias, obiectionibus non leuibus, philosophiae adiumento egere. Nam ne humaniorum quidem litterarum cognitionem haud vulgarem solam sufficere, seculo superiore fere medio nostrates docuit exemplum viri, qui, quanquam in bonis artibus plane habitaret, tamen e cathedra philosophica disputans, cum esset explosus, ex hac Academia discessit.

Nemo

Nemo igitur, verae eruditionis amans, optabit, vt noſtris honoribus et ſpeciminibus ab iis, qui eorum fructum apud nos percipere cupiunt, edendis, penitus abrogatis, incitamenta ad humanitatis et philoſophiae diſciplinas rite colendas efficaciſſima, tollantur. Quod non fieri poſſe ſine Academiarum atque ipſarum litterarum detrimento, bene vidit literarum Vniuerſitas vicina, in qua cum vir quidam, bellarum artium peritiſſimus atque in philoſophia populari et lingua vernacula exercitatiſſimus, per PRINCIPIS ELECTORIS indulgentiam Profeſſor extra ordinem creari cuperet, non editis iis, quae ſupra commemoraui documentis publicis, ea illi condonari poſſe, conſtanter negauit. Atque profecto, his ſublatis, quis diiudicare auſit, an, qui doctorum academicorum prouinciam ambiunt, ei adminiſtrandae ſint apti? Hoc ne ex ſcriptis quidem, ex quibus cogitandi ſubtilitas et ſcribendi elegantia elucet, certo colligi poſſe, indicio ſunt exempla ſcriptorum celeberrimorum, quorum libri a multis leguntur, ſcholae a paucis frequentantur, propterea quod ſuaui illa facilitate ſcientiam ſuam coram auditoribus perſpicue expromendi deſtituti ſunt. At fortaſſe aliquis dixerit, eam certius ex docendi, quam ex disputandi periculo diiudicari poſſe. Verum enim vero, cui lectio habenda multo ante indicitur, is, ſi ad eam non tantum ex libris, ſed etiam a doctiore quodam praeparatus, acceſſerit, quid ſolus ſit praeſtiturus, aliis non probat. Sin vero aliquem prouocaueris ad argumentum quoddam ex tempore exponendum, tu audies doctorem, qualem nemo cupit, id eſt, effutientem, quicquid in buccam venerit. Sed qui auctor disputationis ab aduerſariis acutis ad eorum, quae ſcripſit, rationem reddendam adigitur, is quidem et ipſe ex tempore eloquitur ea, quae ſingula antea meditari non poterat; quae autem cohaerent cum re, quam, vti decet futurum doctorem, ſatis ſuperque ponderauerat.

Quae

Quae cum ita ſint, nemo rerum iuſtus arbiter optabit, vt honores noſtri iisque nexa ſpecimina, in poſterum abrogentur. Hinc extra omnem dubitationem eſt poſitum, TE, PRODECANE MAX. SPECT., merita Tua de Academia noſtra et litteris eximia hoc ipſo die aucturum eſſe, ſi precibus meis meaeque commendationi hoc dederis, vt eos, qui vel magiſterii dignitatem, vel lauream poëticam appetunt, voti ſui compotes facias, cum inter eos reperiantur non pauci, de quorum doctrina non inter nos ſolos conſtet, eorumque vnus iam, ſpeciminibus legitimis publice editis, ab Ordine noſtro ſit cooptatus. Hunc ſi plures, noſtris honoribus ad litterarum humaniorum et Philoſophiae ſtudium indefeſſum incitati, imitari atque adeo ſuperare certauerint, non modo non timendum eſt, ne Magiſterii dignitas aetati proximae ſine dubitatione abroganda videatur; ſed adeo ſperare, imo confidere licet, vel poſteros noſtros, ſeculo huius Academiae quarto expleto, hunc diem nobis gratulaturos eſſe, vbi viderint, eum, non numero, at doctrina Candidatorum quorundam eximia inſignem, quantum fieri poterat, contuliſſe ad veram eruditionem conſeruandam.

CAR-

CARMEN SECVLARE
RECTORIS ET SENATVS ACADEMICI NOMINE
P V B L I C A T V M

A V C T O R E
IO. GEORGIO CAROLO KLOTZSCHIO
POES. PROF. PVBL. ORD.

Feſtis diebus nunc redeuntibus
Omnes canora laude fideliter
Hymnisque ſolemnique ritu
Te colimus Dominum Deumque!

Quem regna coeli lucida praedicant,
Omnisque terrae nuntiat ambitus,
Immenſa noctis quem profundae
Mole ſua reſonat vorago,

Te noſtra ſacro tempore ciuitas
Te ſeculari concinit hoc die,
Te ſupplices regem patremque
Cum ſenibus iuuenes veremur!

Detecta terrae qua facies patet
Pendentis inter lumina ſiderum,
Qua panditur coelum rotundum,
Gratia pertinuit Iehouae!

Quascunque terras nunc oriens videt,
Nunc occidens ſol ſpectat in exteris,
A ſeculis in ſeculorum
Secula Rex habet vnus omnes!

Vnus ſaluti prouidet omnium,
Idemque praeſto eſt conſiliantibus,
Dextraque regnorum minaces
Proruit arce ſua columnas.

Eheu, ſupinas ferte manus Deo!
Quae facta nos, quae triſtia vidimus
Immitis aetas! Heu cruore
Vltima quam rubet hora ſecli!

Quid nunc ſacrato noſtra manus die
Primum rogat, non immeritis quibus
Vindex pepercit! Nunc precamur:
„Debita noſtra remitte nobis!“

Cuſtode

Cuſtode rerum Te Domino Deo,
Omnes beato viuimus otio
Secura gens, dum moliuntur
Bella viris animi feroces.

Dum regna ſurgunt regnaque decidunt,
Dum ciuitatum vertitur alea,
Haec alma nutrix litterarum
Perſtitit vna Deo iuuante!

Deleta quamuis paene domeſticis
Vrbs cara ciues ſedibus expulit,
Non flamma nec vis vlla morbi
Illius omne decus ſubegit.

Antiqua Muſarum haec ſupereſt domus,
Claroque gaudet nomine PRINCIPIS,
Nobisque multos poſterisque
Spondet in arte viros peritos!

Auditur inter nos pia vox: „Dei
„Excelſa fecit dextera fortiter!
„Hic eſt dies, quem Ioua miſit,
„Vrbs Domino benedicat omnis!“

„Ornate ſertis atria nunc Dei!
„Nunc et frequentes templa veremini!
„Veruntamen, dicatis omnes,
„Integer eſt Deus atque iuſtus!

„Deduxit huc nos consilio suo,
„Dextraque semper nos tenuit manu,
„Laetemur omnes, atque portas
„Iustitiae ingrediamur vna!"

Quocunque terris gloria luminis
Splendet beati, luce benignior
Doctrina verae iam salutis
Funditur in populos per orbem!

Matura spes quam ridet in omnibus
Telluris oris! En age, posteri,
Orate carpendis fideles
Frugibus a Domino ministros!

Secura grato Leucoris otio,
Dum fama crescit Saxoniae et domus
Augusta floret FRIDERICI,
Praeuidet atque colit futura.

Sedes piorum, quae fuerat patrum,
Accepta reddat dogmata posteris,
Seruetque doctrinam fidemque
Incolumem docili iuuentae,

Decreta legum iuraque ciuium
Causas malorum et vim medicaminum
Artesque tradat litterasque
Ciuibus ingenue futuris!

Nunc

Nunc laeta forti praesidio Dei
Ad vera tendas praemia gloriae!
Nunc PRINCIPIS tutela semper
Paciferam tibi praestet horam!

Post, cum redibit saluae, Academia,
Natale sacrum saepius, aurea
Venisse dicas secla, prisco
Tempore quae cecinere vates!

ZU DER DRITTEN SECULARFEYER DER UNIVERSITÄT WITTENBERG VON DEM RATHSCOLLEGIO.

Frohen Blickes, Hand in Hand gesenket,
Wallen Schaaren traulich durch einander,
Wie die Wogen, die ein glücklich Eyland
Freundlich umrauschen.

Gleiche Sehnsucht, gleich Geschick, verbrüdert
Knaben, mit dem Greis, gebückt am Stabe;
Nimmer schauten sie dies Heute, keinem
Kehret es wieder.

Feuereifer brennet in den biedern
Jünglingen, zu werden gleich den Männern,
Grossen Sinnes, deren viel der Gräber
Nächte bedecken.

Tiefe

Tiefe Rührung hebt die volle Seele,
Sich, unſterblich, in des Ruhmes Kranze,
Aufzuſchwingen, daſs auch ſie die Nachwelt
Dankbar einſt nenne.

Am Altar, im Tempel hoher Würde,
Stehn in Andacht wir, mit den Geweihten
Jeder Weisheit, jedes Menſchenglückes
Treuen Befördrern:

Der Du, durch das weite Sterngefilde,
Deinen Weſen Leben giebſt und Liebe,
Höre gnädig aller frommes Flehen,
Vater im Himmel!

Fruchtbarkeit und fröhliches Gedeihen,
Wiſſenſchaften, in dem Schooſs des Friedens:
Wie im Sonnenglanz, bei mildem Aether,
Schwellende Fluren!

Deinen Seegen, daſs, zu guter Thaten
Hochgefühle, Herzen ſich befreunden;
Alte, deutſche, Treu der Väter Sitten
Rein uns erhalte!

Reiche, bei dem ſcheidenden Jahrhundert,
Schmerzvergeſſenheit, im Kelch der Freude:
Troſteskühle jeder Wange! Allen
Leben und Liebe!

Unſrem

Unsrem BESTEN FÜRSTEN, Recht und Güte
Schmücken Seinen Thron, in schöner Eintracht,
Immer bleibt ER allen Herzen theuer,
Heil IHM dem Unsren!

Langes Leben gieb IHM, Herr des Schicksals!
Späten Zeiten sey ER noch ein Muster!
ER, an Sorgfalt Aeltester im Volke,
Werd' es an Jahren!

Und ein heilig Wehn durchschauert mächtig
Jeden Beter, des Erhörens Ahnung:
Und Begeistrung glüht in jedem Busen,
Strömet in Liedern.

Jeder wähnt, die Edlen, deren Bilder
Uns umgeben, aus den goldnen Hallen
Jetzt herabgestiegen, seel'ger Geister
Nähe zu fühlen.

ORA-

ORATIONEM
INCLYTAE
ACADEMIAE VITEBERGENSI
INAVGVRATIONIS
ANNIVERSARIA SACRA CCC
GRATVLANDI CAVSA
A. D. XVIII. OCTOBRIS A. CIↃIↃCCCII
HORA XI. HABENDAM
INDICIT
AD EAMQVE AVDIENDAM
BONARVM LITTERARVM FAVTORES CVLTORESQVE
INVITAT
PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IENENSIS.

Socratem narrat Cicero, (Tusc. Qu. V. 37.) quum rogatus esset, cuiatem se esse diceret, respondisse: Mundanum; nempe, quod totius mundi se incolam et ciuem arbitratus esset. Quod quidem dictum an vere Socrati tribuatur, qui, dum vixit, semper se vrbis Athenarum ciuem gessit, nec fere occasionem nactus est, qua se ciuem aut incolam totius mundi ostenderet, nunc non quaerimus; hoc tantum affirmamus, illam vocem viro sapiente et homine philosopho dignissimam esse; sane

enim magnificum eſt et excelſum, humani nihil a ſe alienum putare, „nec ſibi ſed toti natum ſe credere mundo.“ Qua tamen in re magna cautio eſt, ne, dum vniuerſi generis humani ſocietatem colere velle videmur, arctiorem ſocietatis patriae, ciuium, propinquorum colligationem negligamus. Nam illa ſpecies elationis et magnitudinis animi, quae in vniuerſo genere humano colendo cernitur, facile ſic blanditur hominibus gloriae cupidis, vt iniqui ratiocinatores officiorum, quid ciuibus, quid vicinis, quid propinquis debeant, parum diligenter circumſpiciant, et in excolenda, quae latius patet hominibus omnibus inter omnes, ſocietate vnice occupati eſſe videantur. Ac ſi verum quaerimus, facile patet, plurimorum hominum vires, eorumſquoque, qui naturae et fortunae dotibus ornatiſſimi ſint, ita circumſcriptas eſſe, vt, ſi ab iis officiis discesseris, quae ſibi, quae liberis ac parentibus, quae ſodalibus et ciuibus ſuis debeant, haud magna facultas iis ſuppeditetur, qua de vniuerſa generis hominum ſocietate bene mereri poſſint. Satis eſt plerumque, animum ſic informatum habere, vt totum genus humanum beneuolentia complectaris, vt omnium proſperitate laeteris, vt nemini inuideas, vt denique, quemcunque hominem tibi fortuna obtulerit, cui benefacere aliquid, nulla cum aliorum iniuria poſſis, eius commodis libenter inſeruias.

Eadem caritatis moderatione vti inter ſe debent ciuitates, inprimis autem litterariae ſodalitates, quae Academiae dicuntur. Quibus quum primum hoc propoſitum eſſe debeat, vt ſe ſuamque ſalutem, ſuam denique apud exteros famam et gloriam tueantur, tum vt mutua inter ſe officia humanitatis et beneuolentiae colant, vehementer elaborandum eſt. Id autem maxime cernitur his rationibus, vt, quicquid Academiae in commune conſulendo aliis Academiis tribuere poſſint, libenter

benter tribuant; vt earum bona fortuna laetentur, et aduerſis caſibus doleant; vt ſe ab inuidia bonorum, quae aliis, etiamſi ipſae iis careant, a diuina prouidentia tributa ſint, et a laudum meritorumque, quae ſibi comparauerint, detrectatione contineant; denique vt earum conatus, quibuscunque ſubſidiis litterariis poſſint, adiuuent, earumque florem nec dolo aut aſtutia, nec quibuscunque malis artibus infringant.

Ac Ienenſi quidem Academiae nulla alia per Germaniam coniunctior eſt, quam inclyta Vitebergenſis, quam vere poſſis illius noſtrae ſororem natu maiorem dicere. Vtraque ortum debet illuſtriſſimae genti Ducum Saxoniae Erneſtinae ſtirpis, Vitebergenſi a FRIDERICO SAPIENTE, PRINCIPE ELECTORE, anno 1502 condita; Ienenſi autem ab eius ex fratre nepote, IOHANNE FRIDERICO MAGNANIMO, ELECTOR SAXONIAE qui fuerat, primum inſtituta, ſub huius autem filiis anno 1558 inaugurata. Vtriusque magna fuerunt ſtatim ab incunabulis in religionem Chriſtianam merita: Viteberga puriorem doctrinam, auſpicibus LVTHERO et MELANCHTHONE, primum per Germaniam tradente; Iena illam alente et confirmante. Et quamquam FLACII aſperitas coniuncta cum periculis, quae nimia in tolerandis adiaphoris facilitas eccleſiae Lutheranae minari videbatur, ſimultatem quandam inter theologos Vitebergenſes et Ienenſes incendebat, cui paulo poſt controuerſiae de vi bonorum operum ad ſalutem aeternam, et hominum propriis ad virtutem viribus noua incitamenta ſuppeditabant; tamen, nec illae lites perpetuae fuerunt, neque, quae poſtea exortae ſunt, hanc vim habuerunt, vt funeſta inter vtramque Academiam diſcidia orirentur. Quamquam quum Viteberga Cryptocaluiniſmi ſuſpicionibus exagitaretur, religioni cauendum putabant Theologi Ienenſes, ac ſeculo XVII. Vitebergenſes,

genſes, vt AEGIDIVS HVNNIVS, POLYCARPVS LYSERVS, LEONHARDVS HVTTERVS, orthodoxiam Lutheranam acerrime defendendam putabant, quo tempore ABRAHAMI CALOVII, rixarum theologicarum cupidioris, impetus Io. MVSAEVS noſter magna cum grauitate retudit.

Neque vero poſtea, quum feruor ille de rebus ad religionem pertinentibus acerbius diſputandi refrixiſſet, quicquam fuit, quod neceſſitudinem inter vtramque Academiam turbaret. Altera potius alterius bonam fortunam, doctorumque laudes et merita non ſolum ſine inuidia ſpectauit; ſed etiam mutuo plauſu et beneuolentia excepit. Quapropter quum nobis Academiae Vitebergenſis RECTOR MAGNIFICVS et Ill. SENATVS renuntiaſſent, a. d. XVIII. Octobris inſtare ſibi Solennia ſecularia condito tertio Academiae ſeculo celebranda, nosque in ſocietatem huius laetitiae humaniſſimis litteris vocaſſent: pro antiqua, quae inter nos intercedit neceſſitudine, ſtudiorumque coniunctione hunc diem Academiae Vitebergenſi fauſtiſſimum atque exoptatiſſimum communi laetitia et gratulatione celebrare conſtituimus. Qui dies ab omnibus, qui bonis litteris fauent, tanto maiore eſt gaudio excipiendus, quo atrociores calamitates Viteberga bello ſeptenni perpeſſa eſt, quum ex aliis incommodis moleſtiisque, tum maxime ex incendio per oppugnationem d. XIII. Oct. cIↃIↃCCLX coorto, quod rem quoque academicam ſic afflixit, vt praeter priuatas Profeſſorum aedes, templum academicum, collegium publicum, et villa academica conflagraret. Ex tantis molibus moleſtiarum ac turbulentiſſimis tempeſtatibus, fauente DEO, ſingularique SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS, FRIDERICI AVGVSTI, Patriae Parentis, indulgentia, ſic euaſit Academia, vt illorum malorum pauca veſtigia remanſerint, reaedificatisque aedibus publicis acciſae huius Vniuerſitatis opes non reſtitutae ſolum, ſed acceſſionibus quoque locupletatae ſint ampliſſimis.

Nata-

Natalem igitur diem celeberrimae huius Academiae exactis tribus seculis feliciter redeuntem amica salutatione excipiemus, faustisque ominibus ac piis votis prosequemur; cumque libera animorum oblectatione, laetaque congratulatione condemus. Atque, vt planius Ciues nostri intelligant, quam iustae nobis caussae sint secundis Vitebergensium fortunis laetandi, interpretem earum publica auctoritate delegimus Collegam nostrum, CHRISTIANVM GODOFREDVM SCHÜTZ, Eloquentiae et Poes. Professorem ordinarium, qui hor. XI. orationem habebit panegyricam, de virtute Academiae Vitebergensis magnis per tertium ab ea condita seculum meritis in rem litterariam illustrata. Quam ad audiendam, vt frequentes conueniant Illustrissimi Comites, Bonarum Artium Professores ac Doctores Excellentissimi Clarissimique, Hospites omnium Ordinum honoratissimi, Generosissimi denique ac Nobilissimi Ciues nostri, humanissime rogamus; quod si fecerint non solum nostram de earum erga nos beneuolentia spem confirmauerint, sed etiam quantum rebus litterariis et academicis faueant, nouo exemplo demonstrauerint. P. P. D. XVII. Octobr. cIↃIↃCCCII.

ACADEMIAE VITEBERGENSIS
SACRA SECVLARIA TERTIA
QVAE
D. XVIII. ET SEQQ. OCTOBRIS A. CIↃIↃCCCII
VITEBERGAE
SOLLENNI RITV FESTISQVE CEREMONIIS
CELEBRABVNTVR
CIVIBVS SVIS
INDICVNT
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR ET SENATVS.

Redierunt dies, quibus Academiae noſtrae ante ducentos et viginti ſex annos conditae ipſisque his Idibus Octobribus inauguratae memoriam recolimus. Quum igitur non noſtro ſolum, ſed communi magis litterarum nomine laetemur, et e Iuliae Carolinae hiſtoria ea potiſſimum, quae religionis et optimarum artium ſtudiis profuerint, repetamus, nihilque, quod his ſalutare ac honorificum vſpiam contigit, a nobis alienum putemus: opportune incidunt inclytae Academiae Vitebergenſis gaudia feſtiua et rariſſima, die decimo octauo huius menſis Octobris, qui natalis illius erit trecenteſimus, percipienda. Nam ſe diem hunc atque aliquot inſe-

inſequentes feſto pioque ritu, ceremoniis decentibus, omnibus laetitiis dignis, omni hilaritate honeſta, diſtribuendis etiam praemiis omnium ordinum eruditis, acturos eſſe, Rector Academiae Magnificvs et Senatvs amplissimvs Programmate nuper edito nuncitauerunt. Atque quum iidem non neſcirent, ſacra haec et nobis fore laeta et religioſa, proluſionem illam nobiscum humaniſſime communicarunt, litterisque peramanter ad nos datis rogarunt, vt eiusdem copiam Vobis quoque, Ciues Cariſſimi, e loco publico faceremus. Cupiunt enim pro humanitate ſua, vt eximia haec ſollennitas Vobis innoteſcat, quo poſſitis optimarum artium ſtudiis et Veſtri ordinis iuuenibus, in illo Muſarum domicilio litteras colentibus, hoc die fauſta quaeuis adprecari. Quae voluntatis publicae ſignificatio, vt Vobis admodum eſt honorifica, ita nos neque eam Vobis incognitam manere voluimus — videtis enim Programma ſeculare huius noſtrae ſcriptionis lateri adfixum! — neque quin Vos eidem lubentiſſime ſatisfacturi ſitis, votaque noſtra pro Academia Iulia Carolina amico et quaſi ſororio vinculo coniuncta Veſtris pie adiuturi ſitis, dubitamus.

Nam neminem Veſtrum fore confidimus, qui neſciat, quanta exſtent in genus humanum illius Academiae merita, quae quaſi ab incunabulis ſuis virtute Herculea grauiſſimos et inueteratos errores debellauit, hominumque animos ad verae religionis ſtudium vindicandamque ſibi libertatem per multa ſecula oppreſſam primum reſuſcitauit et crexit. Quae quidem ſtudia dici vix poteſt, quam acriter celeriterque illinc per vniuerſam Europam et latius ſint diuulgata. Vix enim a FRIDERICO SAPIENTE, hortatu, vt dicitur, MAXIMILIANI I. Imperatoris Romani, inſtituta erat, quum doctorum fama ciuiumque multitudine inter celebratiſſimas Germaniae ſcholas numeraretur. Ex quo

vero

vero MARTINI LVTHERI et PHILIPPI MELANCHTHONIS ingeniis felicisſime coniunctis eſt colluſtrata, qui doctrinae illorum aut veritatis, aut nouitatis, vt fit, cupidi erant, ex diſſitiſſimis regionibus eo confluxerunt, lucemque ibi accenſam in ſuam quisque patriam retulerunt: „Venerunt, inquit BRVNO A NOLA *), ex omni gente, natione, et diſciplinatae Europae populo Itali, Galli, Hiſpani, Luſitani, Angli, Scoti, Polarium inſularum incolae, item Sarmatae, Hunni, Illyrici, Scythae, ex Oriente, Meridie, Occidente et Aquilone," et PHILIPPVS MELANCHTHON in epiſtola ad Io. MENIVM: „Linguae hodie in mea coena erant vndecim, Latina, Graeca, Ebraica, Germanica, Pannonica, Heneta, Turcica, Arabica, Graeca vulgaris, Indica et Hiſpanica." Et quamquam theologiae ſtudia tum praecipue vigebant; non defuerunt tamen, qui cetera ornarent, nominisque ſui celebritate exteros ad ſe allicerent. In Iurisprudentia excelluerunt HENRICVS SCHVRFIVS, quem LVTHERVS in comitiis Wormatienſibus adiutorem habuit, et HENNINGIVS GOEDENVS, qui cum LVTHERO de combuſtis iuris Pontificii libris litigauit; in Medicina vero MARTINVS POLLICHIVS, ab vrbe patria MELLERSTADIVS dictus, vir multae variaeque eruditionis, primus Academiae, ipſius potiſſimum conſiliis conſtitutae, Rector, itemque primus in eadem creatus Doctor Theologiae. Quo minus, quum mox ex ſacrorum repurgatione in ſtatu etiam ciuili et vita priuata multarum rerum conuerſiones orirentur, etiam viros doctos, qui aliis in litterarum generibus habitarent, theologiae hoſpites libenter eſſe factos, ſuaque ſtudia et conſilia cum theologis communicaſſe, eſt mirandum. Sic IACOBVS MILICHIVS propter litterarum humaniorum amorem et ſcientiam DESIDERIO ERASMO inprimis carus

*) In Oratione valedictoria. Cf. Io. CHRISTIANI AVGVSTI GROHMANNI Annalen der Univerſität Wittenberg, Miſn. 1801. P. I. pag. 199.

carus ac familiaris, quum Vitebergae Medicinae Professor esset, de eaque, nec non historia naturali et Mathesi bene mereretur, MELANCHTHONI se adiunxit, eumque ita sibi deuinxit, vt hic de rebus et controuersiis maxime arduis eius iudicium requirere in eiusque amore curas et sollicitudines deponere soleret, *) quemadmodum paullo post CASPAR PEVCERVS, itidem Medicus, MELANCHTHONIS, soceri sui, controuersiis ita implicitus est, vt propter eas post illius mortem decem annos grauissima custodia detineretur. Nullae tamen aliae litterae post theologiam diligentius ibi cultae sunt iis, quae ab humanitate nomen habent, quas nominis sui honorem sibi tum maxime vindicasse, quum, inita cum theologis honestissima conspiratione, humanitatem, tot seculorum barbarie deprauatam, repurgarent, omnium laudibus merito celebratur. Igitur non est, quod in eius viri laudes iam excurramus, a quo primum disseminatae tam altas ibidem egerunt radices, vt ab eo inde tempore per tria secula nunquam non laete viguerint. Fouerunt enim eas, vt e multis paucos nominemus, sub ipsis auspiciis, praeter MELANCHTHONEM, PETRVS VINCENTIVS, PETRVS ALBINVS, VITVS WINSHEMIVS et LAVRENTIVS RHODOMANNVS, et sicut sacra Secularia prima ERASMVS SCHMIDIVS et FRIDERICVS TAVBMANNVS, altera CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS et IO. GVIL. BERGERVS illustrarunt, ita nec nunc desunt, qui tertia ingeniorum et elegantis doctrinae luminibus illustrent.

Sed quamuis tot tantaque Academiae iubilantis in religionem et vniuersum litterarum orbem merita iam recensere nequeamus, recordamur

*) Vid. Oratio Io. GODOFR. BERGERI recitata in seculari inauguratione Doctorum XVII Medicinae inserta Actis secularibus Acad. Viteb. secundis, Viteberg. 1704. p. 100 sqq.

damur tamen, eadem in has quoque, quas nos incolimus, terras, ipsamque Academiam nostram redundasse. Ne dicamus enim, ante Iuliam natam eorum, qui litterarum studiis dediti essent, plurimam partem in eaque iuuentutis Brunouicensis ac Luneburgensis Principes (quorum tres, ALBERTVS, PHILIPPI Filius, et ERNESTVS atque AVGVSTVS, WILHELMI Filii, summi magistratus academici honoribus sunt condecorati) Vitebergae excultos esse, sacrorum emendatio inprimis Brunsuigae et in regione adiacente primum instituta est a Io. BVGENHAGENIO, confirmata a MARTINO CHEMNITIO, quorum vterque ab eodem sapientiae fonte huc euocatus erat. Et CHEMNITII quidem auxilio IVLIVS Dux in condenda etiam Academia potissimum vsus est; licet praeterea tantum abesset, vt theologos, qui tunc Vitebergae docerent, in consilium adhiberet, aut inde coloniam huc ducere vellet, vt potius sedulo caueret, ne quid eius doctrinae, cuius tunc Vitebergenses suspecti essent, in Academiam suam irreperet. Quid? quod istius doctrinae metus et fuga in caussis numerabatur, quae pium Principem permouerint, vt introductam in terras suas veram LVTHERI doctrinam Academia condenda confirmaret. Ita enim IOACHIMVS MYNSINGERVS A FRVNDECK in oratione, quam, praesente IVLIO, ipsius nomine habuit inaugurali, refert: „Maximum vero ad hoc propositum constituendae nouae Academiae incitamentum iniecit turbulentissimus ecclesiae nostri seculi status, quod eo ipso in loco, vbi instaurata haud pridem fuerat, exstincta fere nunc sit euangelicae doctrinae puritas, veluti lege in Sione, vbi coepit, desinente.“ *) Scilicet, quod inprimis in doctrina de coena sacra in CALVINI magis, quam LVTHERI, sententiam propensi essent, et deplorandum illud nouae societatis

*) Vid. Historica Narratio de introductione Vniuersitatis Iuliae, Num. IV. 4. et cf. TIMOTHEI KIRCHNERI Oratio, ibid. N. V.

tis christianae discidium, praeeunte MELANCHTHONE, reparare vellent Vitebergenses et plures alii in Saxonia, quatenus Electoris ditioni subiecta est, theologi et viri ciuiles male tunc audiebant. Nolumus hoc loco turbarum istarum memoriam renouare, ac de damnis inde Euangelicorum caussae illatis conqueri; non possumus tamen, quin singulare inconstantiae opinionum humanarum modo huc modo illuc fluctuantium exemplum notemus. Sicut enim tum nostri theologi Vitebergenses, ita paullo post hi nostros de nimio in CALVINI adseclas studio et indulgentia accusarunt. Quod crimini e nostratibus datum est inprimis GEORGIO CALIXTO, summo Academiae nostrae ornamento, theologo aetatis suae longe doctissimo et pacis studiosissimo, quem ABRAHAMVS CALOVIVS aliique, maxime post colloquium de componendis in religione dissidiis, Thoruni in Borussia institutum, variis armis artibusque impugnarunt. Sed requiescant et istae lites, dudum compositae! Est enim haec temporum, quibus nos viuimus, non vltima laus, quod, quamuis rixis et altercationibus litterariis minime careant, controuersiae tamen de religione, quae potius pacis et amoris fons esse debeat, rarius agitantur, praesertim inter eos, qui LVTHERI et CALVINI nominibus discernuntur. Inter eas certe Academias, de quarum rationibus mutuis iam loquimur, pax et amicitia ex illo tempore constitit.

Quin, si a theologis recesseris, plurium litterarum doctores doctrinam, qua Iuliam paullo post eius natales ornarunt, Viteberga attulerant. Inter quos primo loco laudandus est Io. CASELIVS, vir omni disciplina humaniori politissimus, cui Academia nostra, MORHOFIO iudice *), illos progressus debet, quos in solidioribus et elegantioribus stu-

*) In Polyhistore P. II. Cap. XXIV. §. 42.

diis fecit. Hic igitur ipſe magnam eruditionis ſuae et elegantiae partem Academiae Leucoreae debebat, eiusque in ſe merita per omnem vitam gratiſſimo animo praedicabat. *) Et quamquam praecipue MELANCHTHONIS fama excitatus illuc venerat, eiusque ingenii formam ſuo ita induerat, vt alter Germaniae MELANCHTHON appellaretur; **) praeter hunc tamen inprimis VITVM WINSHEMIVM et GEORGIVM CRACOVIVM, quorum vterque ſcriptores Graecos frequenti auditorum corona ſtipatus, interpretabatur, admiratus eſt. Ad CRACOVIVM quidem exſtat in autographis Caſelianis, quorum magnam copiam bibliotheca Academiae noſtrae adſeruat, epiſtola, quam, quum non minus obſeruantiae, qua CASELIVS praeceptorem coluit, quam rationis epiſtolas eleganter ſcribendi, qua idem inclaruit, monimentum ſit, hic inſerere placet:

IOANNES CASELIVS
GEORGIO CRACOVIO
S. D.

„Ab vndeuiginti annis iam te obſeruaui plurimum; neque id ſine grauiſſimo crimine potui non facere. Memini enim me adoleſcentulum ex te olim, vt tum arbitrabar, et nunc quoque iudico, in his litteris, quas adhuc colo, neque vmquam abiiciam, non parum profeciſſe. Haec

*) Quum, iam Profeſſor Roſtochienſis creatus, iter in Italiam pararet, valedixit Academiae Vitebergenſi Elegia Latina, quae typis exſcripta eſt Vitebergae 1560. cum epitaphio Melanchthonis, conſ. IAC. BVRCKHARDI Epiſtola de Io. CASELII praeclaris erga bonas litteras meritis, et F. A. WIDEBVRGII Humaniſt. Magazin, P. II. faſc. I.

**) Vid. THOMAE CRENII Animaduerſſ. philolog. P. I. p. 4.

Haec igitur priuata cauſſa mihi tui obſeruandi vna exſtitit; altera vero potiorne, an par eſt? quod me, a quo die primum cognouiſti, probaſti ſtatim et amaſti ſingulariter; hoc enim voluit olim crebra tua ad me humaniſſima atque ſuauiſſima oratio. Amaſti autem, vti coniicio, quod tui me obſeruatiſſimum et nequaquam *φαινομένης καὶ ὑπούλου τινὸς φιλοσοφίας* cultorem eſſe animaduertiſti. In quorum neutro cum iudicium tuum fefellerim, quin etiam viſus fuerim tibi et tui minime omnium oblitus, et progreſſus in bonis litteris quantum poenitere neque quemquam debeat et intelligentem haud poſſit; ita ſentire de me vel multo etiam praeclarius, arctiusque me complecti perſeueraſti. Id, quod cum ipſe his ſuperioribus annis vidi, quoties vna fuimus, tum ab aliis accepi. Cum vero te Cuſtrino abeuntem proxime in via, quod ante tui videndi in illo ſtrepitu copia mihi non fuiſſet, compellarem; vidi iterum animum tuum ex tribus verbis: ex his autem potiſſimum, quibus eſſe tibi, quod mecum conferres, idque in alium locum reſeruandum dolere te oſtendiſti. Niſi autem fallor, aut aliquid tibi de meis rationibus in mentem venit, aut aliquid mihi voluiſti negotii dare. Neque enim ego dubito, quin magnopere tibi curae ſim, neque tu debes dubitare, quin facturus ſim, ſi quid mihi mandaris. Vtrumuis autem horum erit, quaeſo te, quoniam breui vna forte futuri non ſumus, vt me litteris id tuis, quas T o b i a e H u b n e r o curandas ad me tradas, doceas, aut ipſum etiam H u b n e r u m, qui ſuis me certiorem reddat. Eſt enim hic iuuenis et mihi a puero amiciſſimus, et tibi, vt intelligo, perfamiliaris. Facies igitur, vt quod ſcire me vis, quam primum cognoſcam, meque vetere illa tua ſingularique beneuolentia perpetuo complecteris. Vale, Cracovi optime. Berolino XI. Cal. Febr. 1570."

Scilicet commorabatur tunc Caselivs, Profeſſor Roſtochienſis, Berolini, Cuſtrino reuerſus, quo profectus fuerat, vt IOACHIMO FRIDERICO,

RICO, Marchioni Brandenburgico, nuptias ibidem celebranti, SCIPIONEM Caroli Sigonii, ex mandato auctoris, traderet, et CRACOVIVS, qui posteaquam Vitebergae litteras humaniores et iurisprudentiam docuerat, AVGVSTO, ELECTORI SAXONIAE, a Consiliis intimis erat, in comitatu Principis sui ad easdem nuptias venerat. Qui quum CALVINI de coena Christi doctrinam fouisse eique latius propagandae studiose operam dedisse dicatur, suspicari aliquis possit, id quod cum CASELIO conferre voluerit, forte ad eadem molimina pertinuisse: praesertim quum CASELIVS in aula Megapolitana et apud Io. CRATONEM A CRAFTHEIM, MAXIMILIANI II. Imp. Rom. Archiatrum, quocum inita clandestina consilia, inter crimina sunt de CRACOVIO narrata *) magna auctoritate valeret. Sed nos, missis coniecturis leuibus, lubentius commemoramus CASELIVM, quum anno illius seculi vndenonagesimo in nostram litterarum Vniuersitatem venisset, hic etiam Vitebergenses sibi amicos habuisse, et in controuersia cum DANIELE HOFFMANNO de vsu et dignitate philosophiae adplausores.

Sub idem tempus huc venerant VALENTINVS FORSTERVS, ICtus, Vitebergae natus, et a LVTHERO etiam atque MELANCHTHONE institutus, **) atque VALENTINVS SCHINDLERVS, qui linguas Orientis in illa Academia viginti, in hac decem annos docuit, scriptisque ornauit, quibus

*) Vita CRACOVII, viri infelicissimi per inimicorum malitiam in tormenta dati, iisque enecati miserrime, narratur in Symbolis ad Historiam Saxonicam (Sammlung vermischter Nachrichten zur Sächsischen Geschichte) Vol. VIII. p. 1 seqq.

**) Conf. Memoriam ALB. PHIL. FRICKII, auct. F. A. WIDEBVRG, Helmst. 1798. p. 10 seq.

quibus nuper intelligentiſſimus harum litterarum iudex debitum honorem a poſteritatis iniuria vindicauit. *) Sed longum foret, omnes enumerare, qui Vitebergae nati litterisque exculti, aut easdem ibidem publice profeſſi per duo ſecula et amplius ad noſtras Muſas transierint; et anguſtos ſcripti huius limites transgrederemur, ſi vel in ſolas recentiorum, veluti AVGVSTINI LEYSERI, GODOFREDI LVDOVICI MENKENII et IO. CHRISTOPHORI WERNSDORFII laudes exſpatiari, nec quae ſtudia, ibidem excitata et innutrita, hodie noſtris eſſe coniuncta laetamur, praeterire vellemus.

Quae quum ita ſint, nec eſt, quod Vos, Ciues optimi, enixius moneamus, vt Academiae tantis meritis conſpicuae tantaque gloria inſigni fauentibus animis adplaudatis. Antiqua eſt iſta gloria, et Academia ipſa hac antiquitate ſua venerabilis. Magnam enim habet antiquitas commendationem, multis quidem rebus magis ab opinione praeconcepta, quam ab ipſa earum dignitate attributam; ſed Academiis antiquioribus ſua ſunt ornamenta, quae recens conſtitutae vel ſumma virium contentione ſummisque impenſis ſtatim adſequi nequeunt, quemadmodum in bibliothecis antiquioribus libri et cimelia reperiuntur, quorum exempla in recentioribus diu deſiderantur. Huc inprimis pertinet haec ipſa gloria antiquitus parta, quae optimum quemque ſtimulat, vt maiorum veſtigiis ante oculos poſitis inſiſtat, et reipublicae decus tueatur et augeat.

Quod ita eſſe, Academiae Vitebergenſis tum per omnem trium ſeculorum hiſtoriam multa exempla, tum maxime, quae nunc ibi vigent,

*) Andenken an Val. Schindler, erneuert von P. I. Bruns in Staeudlini bibl. theol. Vol. IV. p. 1 ſeqq.

vigent, doctorum in omnibus litterarum generibus ſtudia teſtantur. Quibus ſtudiis multa etiam recens addita ſunt incitamenta ex liberalitate PRINCIPIS SERENISSIMI, GLORIOSISSIMI SAXONIAE ſuae RESTAVRATORIS. Quamquam enim ſuperiorum Principum, ſtatorum ſuorum et nutritorum, nec non priuatorum complurium, munificentia pro temporum ratione largiter eſſet dotata, vt doctores iuſtis meritorum praemiis ornare iuuenumque ſtudioſorum magnum numerum neceſſariis vitae ſubſidiis ſuſtentare poſſet, neque aliae ſtudiorum opportunitates et praeſidia deeſſent; haec tamen multis temporum iniuriis et bellorum ſaeuitia quum admodum eſſent attrita, FRIDERICVS AVGVSTVS, ELECTOR, damna reparauit, aeraria repleuit, aedificia e ruinis elegantius reſurgere iuſſit, nouisque beneficiis hanc Muſarum ſedem, terrarum ſuarum decus, condecorare pergit. — Eſt igitur, de quo nobiscum gaudeatis, Ciues; eſt congratulandi et fauſta quaeuis augurandi materia. Vbi enim virorum doctorum et Principum nutriciorum ſtudia in ornandis litteris aemulantur, ibi ſalutis publicae perpetuitati et incrementis optime proſpicitur.

P. P. in Academia Iulia Carolina Idibus Octobribus A. R. S. cIↄ Iↄ CCCII.

RESPON-

RESPONSIO
AD LITTERAS
MAGNIFICI RECTORIS ET AMPLISSIMI SENATVS
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
SOLENNIA SECVLARIA TERTIA
DIE XVIII. OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCII
CELEBRATVRAE
QVAM
NOMINE RECTORIS ET SENATVS ACADEMICI
DVISBVRGENSIS
REDDIDIT
FRIDERICVS ADOLPHVS KRVMMACHER
THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR P. O.

MAGNIFICO
ACADEMIAE VITEBERGENSIS RECTORI
OMNIVMQVE ORDINVM PROFESSORIBVS LONGE
CELEBERRIMIS
VIRIS SVMME REVERENDIS ILLVSTRISSIMIS CONSVLTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS AMPLISSIMIS
FAVTORIBVS ET AMICIS HONORATISSIMIS
S. P. D.
RECTOR ET SENATVS ACADEMIAE REGIAE DVISBVRGENSIS.

Respublica litterarum, quae haud glebae annexa humiliaque ſpernens altiora ſpectat, et excolendo generi humano vires impendit, non fluuio-

 rum

rum montiumque limitibus aut imperiorum formulis et nominibus coarctata, nec ſuperbientium quinqueuirorum aut vnius arbitri decreto, ſed re ipſa et natura ſua vna et indiuiſa per totum terrarum orbem brachia ſua extendens, quosuis laetos euentus triſtiaque fata, vbicunque locorum in extremis licet ſuis oris eueniant, vna et coniunctim perſentit, et pia fraternaque mente iisdem aut laetatur aut luget. Haec humanitas atque laetarum triſtiumque rerum communio ſi quemcunque hominem, praecipue Litterarum Reipublicae Ciues et humanarum ac diuinarum artium cultores, qui in doctrinae et veritatis ſtudio vitam ducunt, et verſus vnam eandemque metam tendunt, quam maxime decet.

Et nos, qui Rheni litora accolimus, in fauſtis laetisque diebus, quae almae Fridericianae ad Albim ſitae propitio fato denuo illuxere, Vobiscum certatim gaudia iunximus, et ſolennia ſecularia, quarum in partem litterae Veſtrae humaniſſimae et ſuauiſſimae nos vocant, et ſacram lucem Veſtrae Muſarum ſedi celeberrimae cum nouo ſeculo ſplendide orientem pie laeteque congratulati ſumus.

Quantum in nobis fuit, quoslibet ſcientiarum cultores et amicos, qui nobiscum degunt, in Veſtrae noſtraeque communis laetitiae conſortium vocare, atque vt cuique, ad quem talia pertinent, fauſta inclytae Academiae Vitebergenſis innoteſcerent ſolennia, efficere ſtuduimus, Ciuesque noſtros academicos, et quotquot hic locorum flore et incrementis bonarum artium gaudent, hunc in modum et hoc, quem ſubiungimus apographo valuis publicis affixo, de laetis fauſtisque rebus Veſtris certiores fecimus:

RECTOR

RECTOR
ET SENATVS ACADEMIAE REGIAE DVISBVRGENSIS HVMANISSIMIS ET NOBILISSIMIS CIVIBVS ET QVOTQVOT LITTERARVM INCREMENTIS OBLECTANTVR

S. P. D.

Si magni alicuius et nobilis viri, qui aeuum ſuum ſupergreſſus eſt, etſi defuncti, natales colere, atque eiusdem memoriam admiratione et laudibus publicis decorare, non tantum fas ac ius, immo naturae humanae conuenientiſſimum et ad virtutis imitationem vtiliſſimum eſt, quanto magis nos decet, grandia maiorum inſtituta, quorum e gremio tot magni et praeſtantes viri prodiere, et quae larga et benigna luce humanum genus illuſtrarunt, et hodiedum quae vigent florentque, conſpicuo cultu et publicis laudibus proſequi! Agite igitur, Vos imprimis, Praeſtantiſſimi Iuuenes, qui humanarum et diuinarum litterarum ſtudio iuuentutis florem dicatis, Ciues et Commilitones ſelectiſſimi, vt vna nobiscum ſolennes et ſacros natales Celeberrimae Academiae Vitebergenſis, nouum idque quartum ab ortu ſuo ſeculum auſpicantis, concelebretis, et in praeſenti, vt par eſt, eius felicitati exultetis, quamlibet futuram et ſperatam ſalutem eidem ingenuo et hilari pectore apprecantes! Vt vero plenius perſpiciatis, ad quas inuitamini congratulationes et gaudia, conſpiciendas Vobis tradimus litteras humaniſſimas et ſuauiſſimas, quas Ampliſſimus Rector et Senatus Vitebergenſis nobis miſerunt, perſuaſi, quae hisce litteris inſunt humanitatis indicia vnumquemque Veſtrum ad laetitiae communionem et bona pro Academia Vitebergenſi vota, excitatura eſſe. En igitur Vobis litteras, quas integras excudendas curauimus:

„Solenne eſt iis, qui dies feſtos, ſibi proprios, et ſingulari aliqua nota inſignes, ſunt acturi, alios, quibuscum amicitiae, aut alia quacunque coniunctione copulati tenentur, in ſocietatem laetitiae vocare, bene gnari, huius ſine ſociis fructum haudquaquam ſatis eſſe iucundum; plurimum vero momenti ad eum accedere, teſtibus, arbitrisque beneuolis praeſentibus. Cum igitur Academiae noſtrae nullus facile dies memorabilior, religioſior, ſanctiorque eſſe poſſit, quam quo non tantum natalis eius annuus redit; ſed nouum etiam auſpicandum eſt ſeculum: ipſa hominum, vehementi laetitia exultantium, indoles ac vox ſuadent, vt eos, quibuscum non minus communi ac dulci bonarum litterarum, quam amicitiae, nullis vnquam offenſionibus interruptae, vinculo conſociatam ſe gaudet, in communionem feſtae inuitet laetitiae. Dabitis ergo, vt ſperamus, deſideriis noſtris, vt die illo noſtro bona dicatis verba pro PRINCIPIS ELECTORIS noſtri SERENISSIMI, in nos tam munifici, ſalute, et pro Academiae noſtrae perpetua incolumitate, nouisque in poſterum incrementis. Vt autem eximia haec ſolennitas in Ciuium quoque Veſtrorum veniat notitiam, hique noſtratibus, amicis praeſertim ſuis, litteras in noſtra Muſarum ſede colentibus, fauſta quaeuis die iſto apprecari poſſint, libellum, publicum laetitiarum noſtrarum indicem, ſimul transmiſimus, rogantes, vt exemplum eius publico in loco affigendum curare humaniſſime velitis. Deus inclutae Academiae Veſtrae ſplendorem ac felicitatem nouis ſemper acceſſionibus augeat; Vos vero vniuerſos et ſingulos fortes ac hilares, omnibusque veris bonis cumulatiſſimos praeſtet, vt virtutum, doctrinaeque Veſtrae gloriam, perpetua laude florentem, aliis ſuper alia in orbem eruditum remque publicam Veſtram litteratam, meritis augere feros in annos poſſitis. Quae vota aeque caſta ſunt, ac certa ſpes

ſpes noſtra, fore, vt in poſterum quoque beneuolentia Veſtra gloriari poſſimus, quibus ſingulis officiis, quae in nos cadunt, omnibus ſine vlla cunctatione reſpondebimus,

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

VITEBERGAE

DIE VI. MENSIS IVLII CIƆIƆCCCII.

CVLTORES STVDIOSISSIMI

RECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE VITEBERGENSIS."

Et ſane, quis non in celebrandis natalibus illuſtriſſimae et peruetuſtae Academiae libenter ſeſe Ciuibus eius adiunget? Iam ipſius, quod nunc viuimus, aeui conſideratio vnumquemque humanitatis verum amicum pertrahit ad locos, vbi ſacra humanitatis templa ſtant incorrupta, et vetuſta vigent artium et religionis inſtituta. Noſtris temporibus tot tantaque corruerunt, quae antiquitus longa annorum ſerie ſacra fuerant, terrarum faciem immutatam conſpicimus, vacillant nutantque alia, alia ita penitus transformata ſunt, vt vix antiquiorem formam dignoſcas. Vbiuis locorum cum maxime in regionibus, quae noſtris adiacent, fragilitatis rerum humanarum innumera veſtigia et infirmitatis ſeuera triſtiaque monumenta oculis ſeſe praebent; ita, vt ſeculi iamiam elapſi indoles et character vix melius exprimi poſſe videatur, quam Venuſini poetae verbis: Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis. —

Tanto magis cuiuis viro, qui non nubem pro Iunone amplectens, ſibi ſingit, haſce violentas concuſſiones rerumque conturbationes viam eſſe ad altiores humanitatis progreſſus, iſta verae culturae mo-

numenta in honore ſunt, quae inde a vetuſtiſſimis temporibus vsque ad noſtrum aeuum placida luce et conſtanti greſſu, ad inſtar aeternorum coeli globorum et omniparentis naturae, terrarum orbem illuſtrarunt, eundemque laetis fructibus ſuis ditare ſtrenuo et ſuauiter pergunt. —

Hisce prae aliis accenſeri debere Academiam Vitebergenſem, ecquis dubitet? Quis non ſumma reuerentia perfuſus hanc Muſarum ſacram ſedem ſuſpicit, ex qua non tantummodo orbi erudito, immo humano generi clarior lux veraque mentis libertas primum effulſit, quae ſtupidae ſuperſtitionis tenebras et vincula diſpulit atque perfregit, et placido benignoque ſuo lumine orbem repleuit. Lutheri et Melanchthonis, Virorum, quorum laudibus humana vox haud ſufficit, qualesque nec prior nec poſterior aetas vix vnquam protulit, cineres complectitur, et eorundem mentis formam, ingenium et conſtantiam ſecum fouit, et per ſubſequentia deinceps ſecula ſuis moribus expreſſit! Quid tot tantosque viros trium ſeculorum, qui in omni ſcientiarum et artium genere excelluere, et quorum memoriam Viteberga nunc pio gratoque animo laetabunda proſequitur, commemoremus! Quot iterum et quantos Viros, hic doctrina nutritos et exemplo excultos, haec ſcientiarum alma nutrix e materno ſinu ſuo emiſit, qui ſuperſtitionis plumbea ſceptra confregerunt, atque religionis ac veritatis lene imperium longe lateque propagarunt!

Haec aliaque innumera his adiuncta ſi rite perpendimus, non poſſumus non pio gratoque erga prouidentiam diuinam animo gaudium et laetitiam ſincerrimam noſtram declarare, eo quod haecce Academia, quae maximos et benigniſſimos in orbem Chriſtianum et litterarium fructus

fructus congessit, antiqua sua maiestate cincta vigeat hodiedum et floreat, tot tantisque cladibus et calamitatibus superstes, quarum haud minima elapsi seculi fuit bellicus tumultus et dira oppugnatio. Ast quamuis tempestatibus et procellis circumfusa, erecta stetit Academia Vitebergensis, et quae per omnia sua secula illustrium ac benigniorum Principum Saxoniae beneuolentia et eximio fauore gaudebat, et nostris diebus istis calamitatibus exhaustis a Clementissimo, Mitissimo et Sapientissimo PRINCIPE subleuata atque refecta est, aliosque quamplurimos nobiles enumerat benefactores, benignosque litterarum bonaeque causae fautores, qui, antiquitatis reuerentia ducti, hanc sacram Musarum aedem laetis muneribus ornarunt, quorum nomina nunquam tempus delebit.

Pauca haecce enumerauimus eum in finem, vt exinde appareat, nos laetas faustasque res, quae huic inclytae Musarum sedi prouida mente diuina obtigere, vt partem propriae felicitatis aestimare. Vtinam Summum Numen firmam erectamque hanc libertatis in cogitando et veritatis religionisque strenuam propugnatricem florentem diu vigentemque conseruet! Sicut antea, dum oriretur, nebulas et caliginem superstitionis dispulit, lucemque reduxit, sic nostris hisce temporibus veritatis contemtui, longius latius terram peruaganti sese opponat, et vt quondam maiorum aetate, religionis alacrem strenuamque vindicem sese praestet!

DEVM O. M. supplici precatione adoramus, vt SERENISSIMVM ELECTOREM, FRIDERICVM AVGVSTVM, PRINCIPEM eximia clementia, humanitate et sapientia conspicuum, diu sospitem, faustum, Musisque Vitebergensibus propitium seruet; ipsi vero Academiae cunctisque

ctisque eius Antiſtibus et Ciuibus non ſolum feſtos hos natales laetos eſſe iubeat; ſed omnes eorum conatus et conſilia benigno ſuo numine clementer adſpiret!

Intelligitis ex his, VIRI EXCELLENTISSIMI, qui noſter erga Vos animi ſenſus ſit, quem ne coram verbis et vberius Vobis declarare queamus, etſi humanitate et beneuolentia Veſtra in feſtae laetitiae communionem inuitati, negotiorum et muneris ratio prohibet. Quam feliciſſime et diutiſſime valete! Duisburgi ad Rhenum d. XVIII. Octobris cIↃ IↃ C C C I I.

AMPLISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

CVLTORES ASSIDVI
RECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE REGIAE DVISBVRGENSIS.

ORA-

ORATIO
DE
VIRTVTE ACADEMIAE VITEBERGENSIS
MAGNIS
PER TERTIVM AB EA CONDITA SECVLVM
IN REM LITTERARIAM MERITIS ILLVSTRATA
A. D. XVIII. OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCII
IN CELEBRITATE ACADEMIAE IENENSIS
HABITA
A

CHRISTIANO GODOFREDO SCHÜTZIO
CONSIL. AVL. SER. DVC. VINAR. POES. ET ELOQ. PROF. P. O.

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR
PERILLVSTRES EXCELLENTISSIMIQVE PRINCIPVM NOSTRORVM, SAXONIAE DVCVM GOTHANI ET VINARIENSIS, COMITES CONSISTORIANI, ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI VENERANDI, CETERIQVE BONARVM ARTIVM PROFESSORES AC DOCTORES AMPLISSIMI CLARISSIMIQVE, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI VOSQVE CIVES NOSTRI GENEROSISSIMI NOBILISSIMI

Quum in ſingulorum hominum aetate prouectorum vita dulciſſimum eſt, praeteritorum annorum caſus animo ac memoria repetere, inprimisque rerum bene geſtarum temporumque ſuauiter exactorum remi-

 niſci,

nifci, tum plurimas et maximas voluptatis caufas habet recordatio rerum ab vniuerfa quadam ciuitate per longam annorum feriem recte et laudabiliter geftarum. Quo quidem fenfu et ipfe nunc afficior, et vnumquemque Veftrum commoueri arbitror, quum Academiae Vitebergenfis, fororio neceffitudinis vinculo cum noftra coniunctae, merita in rem litterariam per tertium ab ea condita feculum hoc ipfo die feliciter decurfum, nos ad gratam fui contemplationem inuitant. Quam vellem, Auditores, ea orationis facultate pollerem, quae clariffimas huius Academiae laudes fic exornare poffet, vt rerum dicendarum copiam eloquutionis dignitas exaequaret! Nunc quum ipfe, quam exigua in me fit facultas dicendi, probe fentiam, vereorque, ne ingenii mei culpa laudes illas deteram, quae difertius expofitae clariore luce fplenduiffent, magnopere a Vobis peto, vt me de virtute Academiae Vitebergenfis magnis per tertium ab ea condita Seculum in rem litterariam meritis illuftrata, dicturum bona cum venia audiatis, et, fi minus exfpectationi Veftrae fatisfecero, id potius laudatoris infantiae, quam rerum laudandarum inopiae tribuatis.

Neque vero mihi hoc tantum onus ac munus imponam, vt, quanta fuerint Vitebergenfium per hos, qui proxime effluxerunt centum annos, in inftituendis docendisque iuuenibus ftudia, quamque laetos ea fucceffus habuerint, oftendam; in quo nimirum longum ac difficile eft dicere, quot Viri ex hac bonarum artium officina exierint, qui vel rempublicam gerendo, vel valetudinem curando, vel populum ad religionis doctrinam cum eaque coniunctam pietatem ac virtutem inftituendo, vel pueritiam artibus liberalibus erudiendo, fiue patriae, fiue exteris profuerint. Sed, quum harum laudum commemoratio longiorem, quam pro temporis anguftia, fermonem poftulet, non complectar

plectar oratione mea amplius, quam quod pertinet ad Vitebergae laudem doctorum optimorum ſcriptis hoc ſeculo, quod ab ea hodie conditur, illuſtratam.

Ac primum quidem ſi Theologiam h. e. euangelicae veritatis doctrinam ſpectamus, immortalis LVTHERI et MELANCHTHONIS beneficio Vitebergae, quam vel hoc vno nomine ad aeternam poſteritatis memoriam commendatam ſcimus, primum a ſuperiorum ſeculorum labe maculisque repurgatam, facile patet multo laetiora et fructuoſiora Theologorum Vitebergenſium ſtudia tertio Academiae Seculo, quam ſuperiore, effloruiſſe. Nam decimo quidem ſeptimo aerae Chriſtianae, quod erat Vitebergenſis Academiae ſecundum, Theologi fere in ſubtiliore quaeſtionum dogmaticarum tractatione habitabant, ac neglecta fere liberaliore ſacrorum librorum interpretatione, ſepoſitoque hiſtoriae eccleſiaſticae ſtudio, acerrimis potius controuerſiis delectabantur. In quo etiamſi LEONHARDI HVTTERI ferream ac moleſtam in perſequendis dogmatum myſteriis, et CALOVII importunam erga diſſentientes, GROTIVM praeſertim et CALIXTVM, aſperitatem non omnem ab horum hominum ingeniis repetam, ſed magnam quoque partem iniuriae temporum ac ſeculi moribus tribuam; non tamen eſt negandum, Theologos Vitebergenſes multo melius proximo ſeculo, quae ſtudia rem Chriſtianam maxime ornarent, quaeque docendi et ſcribendi ratio ei potiſſimum conduceret, intellexiſſe. Itaque Io. GVIL. IANVS multum verae laudis ſibi peperit duobus potiſſimum libris, Hiſtoria aerae Chriſtianae, et Dionyſii Exigui libro de ratione feſti Paſchatos, quem cum commentario et hiſtoria cycli Dionyſiani edidit. In quo Viro Io. AVG. ERNESTI (in exordio Anti-Muratorii) Theologi prope perfecti exemplum fuiſſe dicit, quippe qui ab excellenti SCHVRZFLEISCHII di-

ſciplina profectus, itineribus per Galliam, Britanniam, Batauosque matura iam aetate atque doctrina factis excultus, denique ab hiſtorica cathedra, in qua aliquot annis cum laude ſederat, ad theologicam aſcendiſſet. Paucos tantum annos Vitebergae docuit VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS; mox Dresdam euocatus, hiſtoria motuum inter Lutheranos et Reformatos, monumentorum ad hiſtoriam ſacrorum reformationis pertinentium collectione, et actorum theologicorum, quae relationum innocuarum nomine inſcripſerat, clarus et alteri quoque ſeculo memorandus. Fuerunt deinde WERNSDORFII duo, Pater et Filius; vterque ſolidae eruditionis laude conſpicuus. Ac Pater quidem, THEOPHILVS, quamquam receptae dogmatum formulae ſtrenuus defenſor, rigidusque ſatelles, multis tamen etiam libellis hiſtorici argumenti nec vulgaris inclaruit; quorum recenſum dedit COLERVS in ſingulari de eius vita et ſcriptis commentario. Eius autem Filius natu maior, ERNESTVS FRIDERICVS, multa antiquitatis eccleſiaſticae capita vtiliter illuſtrauit breuibus libellis, vt de hiſtoria latinae linguae in ſacris publicis, de originibus ſollennium natalis Chriſti ex feſto natalis inuicti, aliisque eius generis pluribus. Mirum tamen eſt, virum doctiſſimum probare potuiſſe ſacerdotem ad altare latina lingua cantillantem; quamquam hiſtoriam huius ritus accurate expoſuit. Proximum ab hoc WERNSDORFIO locum, ſed aliquo tamen interuallo, tribuerim WEICKHMANNO, itidem complurium libellorum hiſtorici argumenti auctori, qui tamen iudicii ſubtilitatem idoneis harum rerum arbitris haud probauit ſcripto programmate, quo myſteria praeſertim incarnationis Chriſti ne paruulos quidem celanda eſſe, aduerſus BASEDOVIVM euincere aggreſſus eſt; ſimulque aduerſus TELLERVM Berolinenſem, cuius mitem ſapientiam laudare potius debuiſſet, querelas effudit admodum intempeſtiuas. Scilicet non poterat veteres auias, vt Perſii

dicto

dicto vtar, de pulmone reuellere. Neque vero laude ſua fraudandus eſt CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHMIDIVS. Etſi enim in defendenda diuina Apocalypſeos auctoritate operam luſit, in eademque cauſa aduerſus SEMLERVM, VOGELIVM et STROTHIVM acerbius ruſticiusque inuectus eſt; tamen in hiſtoria Canonis librorum ſacrorum diligentiam aequis arbitris probauit; et illam ſcribendi aſperitatem aliquantum repreſſit; vel hic tamen interdum, vt in defendendo verſu ſeptimo capitis quinti primae Ioannis epiſtolae criticum acumen vulgarium opinionum tenacitate obtudit et eleuauit. Venimus ad eos, qui nondum e viuis exceſſere. In quibus Duumuiri doctiſſimi, TITTMANNVS et REINHARDVS, poſtquam complures annos Vitebergam doctrina litterisque illuſtrauerant, Dresdam euocati ſunt, ibique in ſupremo Senatu eccleſiaſtico locum obtinent, quem etiamnum ſumma cum laude tuentur. Ac TITTMANNVS quidem, multis libellis eleganter ſcriptis liberaliorem N. T. interpretationem adiuuit, ac de ethica Chriſtiana bene praecepit. REINHARDVS vero ingenii ſubtilitatem, ſcribendi elegantiam ac doctrinae tum multis commentationibus aliis, tum libro de conſilio Chriſti in religione conſtituenda, tum ethicae Chriſtianae ſyſtemate expromſit. Vterque etiam in praecipuis noſtri temporis oratoribus eccleſiaſticis recte numeratur. Quid? qui nunc Theologiam in Academia Vitebergenſi docent? SCHLEVSNERVS vel ſolo N. T. lexico optime meritus, DRESDIVS et NITZSCHIVS, ille compluribus libellis V. T. loca illuſtrantibus, hic paucioribus, ſed eleganter ſcriptis v. c. de iudicandis morum praeceptis in N. T. a communi omnium hominum ac temporum vſu alienis, laudem adeptus. Quid? nonne hi omnes exemplo ſuo comprobant, Vitebergae ſe Theologiam a priſtinorum temporum rixandi libidine, ab horridis controuerſiis ſeuocaſſe, ſeque ad manſuetiores Muſas, ad elegantiam et humanitatem doctrinae contuliſſe?

In Iurisprudentia Vitebergam hoc tertio Academiae feculo tot viri docti ornauerunt, vt, fi vel de his folis pro rerum dignitate dicendum effet, citius me hora, quam materia, deficeret. Statim poft initium feculi eminuit Io. HENRICVS DE BERGER, multis libris fiue ad ius ciuile, fiue ad criminale, fiue ad vfum forenfem fpectantibus clarus: idemque poftea Viennam euocatus, in fummo Romani Imperii tribunali locum fumma cum laude obtinuit. IAC. CAROLVM SPENERVM, celeberrimi Theologi filium, in iure publico feliciter elaborantem, mors immatura citius oppreffit, quam coeptum iuris publici fyftema, multae doctrinae opus, abfoluere poffet. De eadem iuris parte bene meritus eft CASP. FRID. HORNIVS, Ordinis ICtorum Praefes, libro bis edito, quo fingula iuris publici capita pertractauit, idem quoque in aliis Iurisfcientiae partibus, vt in feudorum iure, bene verfatus. Summam vero laudem meruit Io. GVIL. HOFMANNVS, vir elegantiffimae doctrinae, idemque plurimas Iurisprudentiae partes breuibus libellis, fed accurate et ornate fcriptis, illuftrare aggreffus. Cui quidem RITTERVS ipfe tantum tribuit, vt fingula eius fcripta, fingula fummae artis exemplaria nominauerit. Sed eum, nondum triginta annos natum, praematura mors abripuit. Neque vero filentio praetereundus eft KEMMERICHIVS, per complures annos Vitebergae Iurium Profeffor, poftea de noftra Academia, vbi ICtorum Ordini praefuit, bene meritus. Certe eius ius publicum illa aetate laudem tulit, femel iterumque editum. Sed iuri ciuili potiffimum hoc feculo plurimum lucis attulerunt, Io. BALTHASAR WERNHERVS, praecipue felectis obferuationibus forenfibus clarus, pofthac equeftrem dignitatem, et locum in iudicio Curiae Imperialis Viennae adeptus, et AVGVSTINVS A LEYSER, cuius Meditationes ad Pandectas quantam auctoritatem et celebritatem obtinuerint, et quam cupide dudum poft Viri celeberrimi mortem expetitae et lectae fint, inter omnes conftat.

constat. Atque, vt alios, quos breuitatis causa nominare tantum licet, eosdem tamen honoris causa nominandos, vt GRIBNERVM, KRAVSIVM, CRELLIVM praetereamus, quis nescit, nostra quoque aetate claros vixisse aut viuere, GEISLERVM, WIESANDVM, HOMMELIVM, REINHARDVM, qui multis breuioribus libellis varias Iurisprudentiae partes pertractarunt, partimque etiamnum Academiam Vitebergensem de Iure respondendo, et iuuentutem erudiendo egregie illustrant. Quibus nuper accessit doctissimus ZACHARIAE, qui compluribus libellis ad ius feudorum, itemque ad ciuile et publicum pertinebat, doctrinae copiam et ingenii subtilitatem doctis existimatoribus probauit.

Rem medicam Vitebergae seculo Academiae tertio primum ornarunt VATERI duo, pater CHRISTIANVS, et filius ABRAHAMVS. Ille praeter minores bonae frugis libellos edidit anno primo superioris seculi Physiologiam experimentalem et demonstratiuam iconibus illustratam, post duodecim annos auctius editam. Filius autem, ABRAHAMVS VATER, clarior fuit anatomes peritia, quam non solum cadauerum vasa succis coloratis explendo, et monstris ad vsum obseruationum artificiose siccandis, sed etiam commentationibus sat multis demonstrauit, quas inter eminent, quae nouum ductum saliualem ab ipso repertum, et vterum grauidum describunt. Praeterea Museum anatomicum proprium recensuit, ab HEISTERO cum praefatione editum. AD. BRENDELIVS plusculas dissertationes bonae notae scripsit, ad anatomen corporis humani spectantes, idem sylloge anatomicarum obseruationum et commentationibus pathologicis haud paucis laudem adeptus. Fuit autem gener IO. GODOFR. BERGERI, qui per annos quinquaginta Vitebergae artem medicam docuit, e cuius libris physiologia medica aliquoties edita praecipue digna est, quae memoretur. Sed summum dignitatis locum obtinuit

tinuit Vir amplissimae elegantissimaeque doctrinae, Dan. Wilh. Trillervs, qui ante hos viginti annos, venerabilis senex, paene nonagenarius decessit. Is non solum in graecis latinisque litteris egregie versatus, Hippocratem, Aretaeum, multosque Graecos et Romanos scriptores notis illustrauit; sed intimam artis medicae peritiam aegrotos curando, iuuenes docendo, librisque edendis demonstrauit; vt clinotechnia medica antiquaria, et opusculis medicis, ac medico-philologicis, quorum editionem habemus a Krausio paratam. Huic viro alium adiungimus, aetate pariter ac meritis venerandum, Georg. Rvd. Boehmervm, Academiae Viteb. Seniorem. Is, etsi plusculis dissertationibus medicae artis singularia quaedam capita persequutus est; summam tamen diligentiam in historia naturali posuit. Nam non solum plurimas dissertationes conscripsit, naturam plantarum variosque multarum vsus explicantes; sed etiam bibliographiam totius historiae naturalis nouem voluminibus edidit, opus ad historiam litterariam huius doctrinae vtilissimum Clarus etiam in historia naturali fuit Georg. Avg. Langgvthivs, cuius opuscula filius, Christianvs Avgvstvs, edidit. Rem chemicam egregie administrauit et auxit Io. Godofr. Leonhardi, qui nunc inter Archiatros PRINCIPIS ELECTORIS Dresdae versatur. Is Macqueri Lexicon chemicum germanice versum edidit, notisque et additamentis auxit; deinde pluscula scripsit lectu digna, quae chemicam et pharmaceuticam artem amplificare possent, chemicas etiam obseruationes ad explicandas quasdam humani corporis partes, exempli causa ad mucos primarum viarum, ad dulces humanorum succorum sales transtulit.

In Physicis celebritatem nomini suo parauit Georg. Matthias Bose, electricis praesertim experimentis et obseruationibus clarus, qui quam-

quamquam haud abfuit a vanitatis specie, vtpote, qui tentamina electrica supremo legum interpreti apud Turcos, Mufti dicto, Constantinopolim miserit, et commercium litterarium cum curia Pontificis Romani ita iactauerit, vt etiam Theologis suae aetatis suspectus esset, iisque, ne in suspicionem ipsi adducerentur, timorem incuteret; tamen multis modis Vitebergae profuit, et sub finem belli septennis, obses Magdeburgum deductus, vbi, omni eius suppellectile per oppugnationem Vitebergae igne consumta, diem obiit supremum. Hunc sequutus est Io. DANIEL TITIVS, in edendis vertendisque compluribus exterorum libris vtiliter occupatus, quos inter eminet Bonneti contemplatio naturae ab eo translata, et nouis accessionibus aucta.

E Mathematicis huius seculi primum excitabo Io MATTHIAM HASIVM, tabulis geographicis earumque noua delineatione, et notissimo libro: Phosphorus historiarum, magnam nominis celebritatem assequutus est; tum Io. FRIDERICVM WEIDLERVM, qui praeter alios libros, historia potissimum astronomiae nomen suum posteris commendauit. Qui autem nunc Mathemata Vitebergae docet, Io. IACOBVS EBERTVS, scribendi operam rarius ad hanc disciplinam, saepius ad physica contulit, multa quoque, vt est ingenio ad omnem humanitatem exculto, populo, adolescentiae, bellisque hominibus scripsit, quae cum fructu et voluptate lecta sunt, ct multorum oculis et manibus trita.

Historiam praeter HASIVM iam laudatum, qui meliorem historiae catholicae formam primus monstrauit, studiumque historicum cum geographico arctius coniungendum esse docuit; initio superioris seculi Vitebergae excoluit HENR. LEONARDVS SCHVRZFLEISCH, celeber-

leberrimi Philologi CONRADI SAMVELIS frater, qui compluribus historiae antiquioris capitibus lucem affudit, ſingularibus libellis idemque rationes chronologicas diligenter excuſſit. Sed ſummum lumen hiſtoriae hoc ſeculo attulerunt Io. DANIEL RITTERVS, et Io. MATTHIAS SCHROECKHIVS. Et ille quidem, vir omnibus ad hiſtoriam illuſtrandam praeſidiis, ingenio veritatis amantiſſimo, diligentia acerrima, egregia linguae, antiquitatis et iuris Romani ſcientia inſtructus; noua codicis Theodoſiani editione, hiſtoriae Byzantinae in opere Guthrieano, cui mille errores abſterſit, recenſione multisque aliis libris laudem ſibi peperit, nunquam, dum bonae litterae vigebunt, intermorituram. SCHROECKHIVS autem inter principes, qui germanice ſcripſerunt, hiſtoricos referendus, non ſolum vitis Eruditorum, Regum, Imperatorum narratis, ſed maxime hiſtoriae eccleſiaſticae opere, quod ab initiis religionis Chriſtianae vsque ad LVTHERI aetatem per triginta quatuor volumina deduxit, ſummos eruditorum plauſus meruit. In hoc enim opere progreſſus doctrinae Chriſtianae, rituum et morum viciſſitudines, ſcriptorum eccleſiaſticorum et Pontificum Romanorum vitas, ordinum monaſticorum ac diſciplinae eccleſiaſticae memoriam ſic expoſuit, vt lectores, ii praeſertim, qui in harum rerum cognitione non domicilium, ſed deuerſorium ponere volunt, nihil amplius ſiue ad plenitudinem rerum geſtarum, ſiue ad iudicii ſubtilitatem et modeſtiam, ſiue ad narrationis elegantiam ac ſuauitatem, deſiderare poſſint.

In Philoſophia Vitebergenſes hoc ſeculo eum tenuerunt modum, vt nec ſectarum conditores, nec ſectarii eſſe vellent, et quae alibi in philoſophia nouata eſſent, ſuis impertirent, iisque libertatem eligendi, quae maxime probabilia eſſe viderentur, aſſererent,

eosque

eosque nullius in verba magiſtri iurare iuberent. Sic primum HOLLMANNVS philoſophiam Leibnitzio-Wolfianam, ſic nuper REINHARDVS, et, poſtquam ille Dresdam conceſſerat, KRVGIVS Kantianam philoſophiam propagauit.

Agmen claudant Philologi. Vt enim ex iis, quae ſupra narrauimus, patet, Academiam Vitebergenſem ornaſſe Theologos, Iurisconſultos, Medicos, egregia graecarum latinarumque litterarum ſcientia inſtructos: ita nec defuiſſe, qui has litteras pro muneris ratione publice cum laude profiterentur, liquido conſtat. Hic poſt THRYLLITIVM, vtriusque linguae egregia notitia pollentem, ſed immatura morte his litteris ereptum, ſuccurrit nobis IO. GVIL. BERGERI nomen, qui SCHVRZFLEISCHII diſcipulus, RVHNKENII autem praeceptor, quamplurimas edidit diſſertationes varia antiquitatis capita enodantes, multa quoque principum et eruditorum virorum elogia eleganter ac diſerte ſcripſit. Rurſus e diſciplina BERGERI prodiit IO. FRIDERICVS HILLERVS, qui humaniores litteras cum theologia accuratius coniunxit; philoſophiam non tantum Wolfianam; ſed etiam liberiorem et doctiorem tradidit; denique paedagogicis inſtitutis bene meruit. Medio fere ſeculo IO. GE. WALTHERVS proluſionibus accurate ſcriptis hiſtoriae antiquae auctoribus veteribus profuit. Sequutus eſt CHRISTIANVS CRVSIVS, qui ingenio viuido pollens elegantique doctrina abundans, partim probabilibus criticis, partim variis opusculis poſt eius mortem a KLOTZIO collectis, quid in eo genere poſſet, demonſtrauit. Poſtea BODENVS et ZEVNIVS, graecorum latinorumque auctorum editionibus compluribus philologicis inclaruerunt. Et nunc quidem doctiſſimus MATTHAEI, iam antequam Vitebergam vocatus eſſet, multis anecdotis e bibliotheca Mosquenſi in lucem edi-

tis, ac N. T. editione ſpectabilis, has litteras ornare pergit, quam diligentiam nuper noua Nemeſii editione philologis mirifice probauit.

Neque vero neglectum fuit linguarum Orientalium ſtudium. Nam poſt Wichmanshavsivm, qui complures antiquitatis Hebraeorum partes ſingularibus libellis explicuit, Dresdivm item diſſertationum aliquot bonae frugis plenarum auctorem, Antonivs cum maxime his litteris prodeſſe ſtudet, isque potiſſimum re metrica et Muſica Hebraeorum ſtudioſius indagata, virorum doctorum honorifica iudicia meruit.

Coniunctis horum virorum ſtudiis effectum eſt, vt omnem rei litterariae formam ac faciem in hac Academia multo meliorem et perfectiorem, quam ſuperioribus ſeculis videamus. Dispulſa eſt barbaries theologica in exagitandis discrepantium formularum aſſeclis, nec vnquam reſurget Calovivs aliquis, qui quotidie precetur: „Imple me Deus odio haereticorum!“ Euanuit ſuperſtitio aſtrologica, a qua ſibi ne ſummus quidem Melanchthon, pro communi iſtorum temporum errore, temperare poterat. Eiectus eſt diabolus cum laruis ſuis et ſpectris, nec verendum eſt, ne fabula ſimilis Kembergianae iam tum, quum fereretur, exploſae, denuo ludatur, aut noui daemones cum antiquatis erroribus reducantur. Conticuerunt ſtulta futurarum rerum vaticinia, nec vnquam, vt ſeculo decimo ſexto, Stiefelius aliquis diem mundi extremum inſtare ſinget, aut diluuii praedictiones homines terrebunt, vt eadem aetate Stoeffleri hariolationibus accidiſſe ſcimus, quibus vt multis aliis, per Europam, ita Vitebergae etiam praetori vrbano Henfeldo fidem fecerat, qui haud incallidus futurae neceſſitatis prouiſor ingens dolium cereuiſia plenum in ſupremum

mum aedium coenaculum portari iuſſit, vt ſcilicet in tanta aquae abundantia haberet ſaltem, quod iucundius biberet. Moderata denique eſt nimia Lvtheri veneratio, nec poſtea cathedram Viri magni adorabunt, nec eum, vt deum, ſed vt hominem excelſi animi, virtutes imitando, errores et vitia tanquam naeuos in pulcherrimo corpore excuſando, reuerebuntur. Ac ſi nunc reuiuiſceret Philippvs Melanchthon, communis ille Germaniae praeceptor, quam ſolido frueretur gaudio, ſi Vitebergam ſuam nunc videret et ſapientiore iuuentutis inſtitutione, et omnibus bonarum artium praeſidiis florentem; ſi theologiam, qualem ipſe informauerat, humanitatis plenam, omniumque diſciplinarum luce colluſtratam; ſi iurisprudentiam in partes ſuas plenius digeſtam, eandemque et hiſtoriae et philoſophiae ſtudio ornatam et comtam, ſi anatomes corporis humani, ſi medicinae, ſi chirurgiae incrementa cerneret; ſi immenſas hiſtoriae naturalis progreſſiones, ſi phyſica miracula ſuo ſeculo inaudita, ſi mathematicarum artium profundam altitudinem, ſi philoſophiae omniumque artium liberalium faſtigia videret! Si omnia haec doctrinarum ſubſidia ab optimis praeceptoribus Vitebergae quoque iuuenibus expromi et impertiri intelligeret!

Nimirum haec quoque felicitatis tertii Academiae Vitebergenſis ſeculi pars cenſenda eſt, quod multae ſunt commoditates publicae, multae rerum diſcendarum opportunitates Profeſſorum induſtriam conſequutae. Quod niſi Academiam belli ſeptennis calamitas, inprimisque triſtiſſimum illud ex obſidione incendium perculiſſet, ceteroquin per proximos centum annos non eſſet, quod eam fortunae ſuae poeniteret. Inprimis, qui nunc regnat PRINCEPS ELECTOR aedes publicas reſtituit, ſalaria Profeſſorum auxit, multisque aliis emolumentis Academiam inſtruxit. Aucta eſt bibliotheca; ditatus hortus plantarum;

tarum; apparatus inſtrumentorum phyſicorum locupletatus; theatri anatomici neceſſitatibus proſpectum; profeſſio artium oeconomicarum nuper inſtituta. Praeterea multos alios fautores inuenit Academia, qui vel eius aerarium legatis ampliſſimis ditarent, vel ſtipendia aſſignarent, ciuibus, quorum anguſta res domeſtica eſſet, distribuenda. Ex quibus vnum memorare liceat inſigne, ne dicam diuinum liberalitatis exemplum, qua ſibi Academiam immortaliter deuinxit, Vir ſtirpe generoſus, animo generoſior, Io. Avgvstvs de Ponickau, qui bibliothecam ampliſſimam, ingenti ſumtu collectam, Academiae Vitebergenſi dono dare decreuerat. Sed eheu! antequam huius doni particeps fieri poſſet Academia, praeſtantiſſimus ille librorum theſaurus per funeſtam Dresdae oppugnationem fere totus donatori periit. Ille autem tantum aberat, vt hac calamitate frangeretur, vt potius, quam primum poſſet, nouam eamque inſignem bibliothecam ſibi compararet, eamque Vitebergam transportandam curaret, ſimul ad eam quotannis amplificandam tribus millibus Imperialium legatis. Huic igitur Viro grata poſteritas inſignem inter eos locum aſſignabit, qui

— — — vitam excoluere per artes,
Quique ſui memores alios fecere merendo.

Tot igitur ac tantorum beneficiorum virtute ſua aut pactorum, aut promeritorum memoriam, quum tertium hoc ſeculare feſtum Academiae Vitebergenſi iucundiſſime repraeſentet, quidni nos in ſocietatem ſummae huius laetitiae eiusdemque liberaliſſimae, veniamus! Ac bene nobiscum agitur, quod, quum rebus noſtris dudum ſit a Nutritoribus huius Academiae munificentiſſime proſpectum, nullus ſit nobis in contemplanda Vitebergenſium felicitate inuidiae locus! Illis potius proſperam fortunam gratulamur, nobis gaudemus, puriſſi-

purissimaque voluptate fruimur ex vtriusque nostrum secundis rebus percepta! Quo igitur animo huic nostrae Academiae eiusque Nutritoribus, Senatui Populoque bene precamur, quave laetitia hanc ipsam panegyrin Duumuirorum *), quibus Gotha et Vinaria superbit, ingeniis, doctrina, meritis atque in nos beneuolentia excellentium praesentia ornatam videmus, eodem sensu, eademque alacritate, hunc diem Academiae Vitebergensi, vt DEVS faustum fortunatumque esse iubeat, optamus, et vt nouo seculo ad hanc, qua nunc vtitur felicitatem, tantus cumulus accedat, quantum est secundum, ab hoc, quod hodie effluxit, tertio superatum. Vigeat optimus Academiae Stator, FRIDERICVS AVGVSTVS, PRINCEPS ELECTOR, Patriae PATER, diu laetus intersit populo, ac serus in coelum redeat! Floreat Viteberga, bonarum artium Nutrix, et nouo quoque seculo doctorum sapientia, eruditione, facundia, subsidiorum litterariorum copia, ciuium frequentia, horumque docilitate, industria, probitate in dies magis magisque eluceat! Has tu, DEVS Optime Maxime, preces ita ratas habeto, vti te omnium virtutum perfectissimum exemplar, omniumque bonorum largissimum fontem, humanae denique sapientiae et summum principium et finem vltimum laeta, sincera, liberaque pietate veneramur!

*) Perill. DE ZIEGESAR, Duci Sax. Gothano, et Perill. DE GOETHE, Duci Sax. Vinar. a Consiliis sanctioribus.

Cor-

Corrigenda.

Pag. VI. lin. 19. pro profus l. prorfus.
Pag. IX. lin. 8. pro docendi l. docendis, et l. 23. pro reuiuixit l. reuixit.
Pag. XXX. lin. 10. pro noftra l. noftrae.
Pag. XXXI. lin. 22. pro nomen illuftrarunt, fuumque vindicarunt, l. c. nomen illuftrarunt fuum, vindicaruntque.
Pag. C. lin. 8. pro eum l. eam.
Pag. CIII. lin. 8. pro XVIII l. XIX.
Pag. CLXVII. lin. 7. pro Christophori l. Christiani.

VITEBERGAE
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.